2.

ANTAGA-
THYRSVS.

Digitized by Google

Digitized by Google


Sol oritur: noctis vos spectra faceſsite Macri ·
ANTAGATHYRSVS

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

ANTAGATHYRSUS

SIVE

APOLOGIA PINGVIUM

ADVERSVS

AGATHYRSUM

Sive

Exſultantem Congregationem

MACILENTORVM.

AVCTORE

JACOBO BALDE

è Societate JESV.

Cum approbatione, & licentia
Superiorum.

BIBLIOTECA NAZ. VITTORIO EMANUELE ROMA

MONACHII,
Typis LVCAE STRAVBII,
Sumptibus JOANNIS WAGNERI,
BIBLIOPOLÆ.
Anno M. DC. LVIII.

Digitized by Google

REVERENDISSIMO, ATQVE
ILLVSTRISSIMO
DOMINO,

FERDINANDO
à
FVRSTENBERG
S. D. N.
ALEXANDRI VII.
Cubiculario intimo, Canonico Hildeſienſi, & Paderbornenſi.

SImul atque Româ miſſæ ex Vaticano, literæ tuæ, FERDINANDE, fulſerunt oculis meis: ex quibus intellexeram, ANTA-

GATHYRSVM à me peti: benevolis adhortationibus continuò adjeci animum ; imitatus Deorum fabrum, qui apud principem Poëtarum, Aeneæ in Turnum ituro, fabricare clypeum rogatus, voto Conjugis ſtatim aſſenſerat, relictis non parvi momenti operibus : habebat enim ſub incude conficienda Jovi fulmina, pleraque rudia & impolita : deerant

Tres ignis torti radij, tres nubis aquoſæ:
Deerant & rutili tres ignis, & alitis Auſtri;
Fulgores quoque terrifici, ſonitúſque, metúſque.

Ut de alijs taceam. quippe vir ſedulus, quamvis claudus, nõ claudicabat tibiâ induſtriæ.

Parte aliâ Marti currúmque, rotáſque volucreis
Inſtabat : quibus ille viros, quibus excitat urbes :
Aegidáque horriferam, turbatæ Palladis arma,
Certatim ſquamis Serpentum, auróque poleibat.

Ego quoque pariter, amicis precibus inductus, etſi multa alia, diverſi prorſus generis, meditamen-

menta forcipe verſarem : ſepoſitis tamen omnibus, quæ ſub manibus erant; in id unum incubui, ut conficerem arma, quibus truculenta Macies, & jam penè ubique noſtratibus bellis victrix, oppugnaretur. Habes, ILLVSTRISSIME DOMINE, petitam ſcriptionem confectam : neſcio, an non etiam, ſive feſtinandi voluptate, ſive tui Nominis afflante Genio, celeriùs maturatam. Cùm autem cetera noſtra, qualiacumque, non aſperneris; favebis huic Poëmati idcirco impenſiùs; quòd & tui cauſsâ ſuſceperim; & in te omnia pinguia ſint, præter ingenium. gracilem Minervam colis: pinguem fortunam non averſaris. *De rore cæli, & de Pinguedine Terræ eſt Benedictio tua.* Ornamen-

mentis Naturæ, donis Gratiæ copioſiùs affluis, quàm ut maciem vearearis. Ipſe habitus corporis ac modus, qualem Landishuti ſuſpexi; (quum Monachio divertens, viſendi mei cupidine, antè quā Romam proficiſcerere, ignoto atque immerenti familiaris fieri dignareris;) ab Italicis Solibus utique non imminutus, ſicut dignitatem Proſapiæ Fürſtenbergicæ ſpirat; ita & Argumenti mei propoſitum opulentiſſimè confirmat. Naturæ bonitas, utrumque noſtrûm moleſto abdomini ſubduxit: ſed à tenuitate & ſqualllore macilentorum, inprimis te ſegregavit. neque AGATHYRSO multum debes, neque THYRSO: inter extrema medius; in medio beatus. Ipſe quidem, juxtà mecum

cum, corporum amplitudinem, menſurámque tanti non facis; eſt tamen PACATI ſententia non inficianda, coram Theodoſio Imper. perorantis; & quodammodo Antagathyrſo noſtro proludentis. in hunc ſenſum loquebatur vir diſertiſſimus: *Non fruſtra planè, opinione Sapientum, qui arcanis cœleſtibus nobiles curas intulerunt; auguſtiſſima quæque ſpecies plurimum creditur trahere de cœlo. Sive enim divinus ille animus, venturus in corpus, dignum priùs metatur hoſpitiũ; ſive, cùm venerit, fingit habitaculum pro lubitu ſuo: ſive aliud ex altero creſcit; & cùm ſe paria junxerunt, utraq; majora ſunt.*

 Niſi

Niſi fallor, Gallicus iſte orator, Macrorum & Vmbrarum encomia non deſcripſit: tua tetigit. Sed, ut ſcio, nihil horum æſtimas, omnia in animum confers. Corporis cura minima. Acſi te pigeat altiſſimi ſanguinis à Majoribus hauſti; avitum genus, gentilitia decora, familiæ ſplendorem, bona Fortunæ, majoribus animi bonis obſcuras, obſcurando illuſtras, illuſtrando provocas. Quòd Illuſtriſſimus Patruus tuus, Theodorus Fürſtenbergius, Epiſcopus Paderbornenſis, Mitræ ſuæ faſtigium virtutibus æquavit; quòd Vrbem Paderbornam perduelliũ furori & armis eripuit; Quòd Societati noſtræ Collegium ampliſſimum, ſingulari munificentiâ, fundavit; quòd religionem

collapſam vigilantiſſimus Pontifex erexit: Quòd ceteri Majores tui, ſago vel togâ Cõſpicui victricia circumferentes arma, trophæis inſigniverint campos; comitate ornaverint aulas; pietate ſacraverint templa: Hæc, inquam, vix ad te pertinere putas, tamquam aliena. in propriam niteris Famam incumbere. Honores non anxiè accerſis; admittis tamen; ſic, *quaſi ad audientiam*, promereri ſtudes, non præoccupare. jámque S. D. N. Alexandri VII. intimus Cubicularius, officium ætate tuâ majus imples. Supra invidiam emicas. Qui obtulit Dignitatem, dedit & ſuffragiũ. quamvis hoc ipſo magna ſit impoſita neceſſitas virtutibus tuis, ut penè jam non poſſint non eſſe

ſumm ę, vel proxim ę ſummis. Romæ, in facie Vrbis terrarum Dominæ; ante faciem Patris Patriæ & Orbis, aſſiduò verſaris. Sacro cubiculo quoties pedem inſers; novæ virtutis veſtigium & referre licebit. Sanctiſſimum, eumdémque prudentiſſimum Pontificem, qui & judicem morum ſuſtinere poteſt; à quo damnabitur? illum habiturus vitæ adprobatorem, quam cenſuram formidabit? Quin & Muſas tuas, Philomuſus & ipſe, commendat ac ſuſpicit. earum, noſtrâ tempeſtate, audis DELICIUM. Secundis auſpicijs foves alienas: meritiſſimâ famâ auges proprias; quáſque excolis, ſentis propitias. Sufficit multis, laudari poſſe. tu plurium inſuper ſcientiarum capax & gnarus,

Artium.

Artiúmque Liberalium artifex, etiam alios laudare didiciſti. Sic congeminatis præconijs graſſaris ad gloriam. Facundiæ numeroſæ partes in numerato habes; facilem ſine numeris, placidóque manantem alveo, quàm largiter excipis, tam leniter fundis. ligatâ metris eloquentiâ ligas aures etiam, animóſque legentium. exempta Pieridum vinculis, in ſuaviſſima dicendi libertate regnat: lætitiæ quidam fulgor aſpergit Epiſtolas. candor mentis in ſcripto quoque relucet. Animus hilari amœnitate imbutus in manſuetiora ſtudia liqueſcit; & floridæ juventutis virile prodit conſortium. non cogis eruditionem in ambitum: ſpontè ſemet inſinuat. Non oſtentas ingenium:

ipſo

ipſo tamen artificio occultantis, cultóque neglectu præradiat. quę minùs morosè conſectaris, pulcriùs eniteſcunt: beneficio naturæ, an ſolertis induſtriæ, haut facilè dixerim: niſi, quòd utrumque conjungas eâ gratiâ, quæ cupiditatem imitandi accendat, conatum aliorum deterreat. Sed jam noſtra lecturo, quæ dedicamus tibi; tantiſper exuenda eſt ſuavitas iſta. Connivebis Auctori, quem ferocem feciſti. Non hîc Italiæ hortos & vireta deſcribimus: non Theſſala aut Heliconia Tempe; non Beatiſſimi Patris Alexandri noſtri effigiem, *niveos de marmore vultus*, tuo ingenio, atque exemplo ducimus: non amœniſſimos receſſus ad Lacum Albanum, in Caſtro Gandulphi

phi, unde mihi pridie Nonas Octobres, hujus anni, ſcripſeras. Horrorem ſpirat ANTAGATHYRSUS; ſacrum tamen, & Vatibus, ut opinor, non inaſſuetum. Campum aperuit, te jubente, pugnax Muſa ſibi: ubi cum Larvis & Umbris luctetur. luctetur, ajo. Nam cædes nullas meditamur, ſpectaculum, more noſtro, feſtivum, innocuúmque præbemus. Vale; & me, Muſáſque meas, ut ſoles, amare perge. Neoburgi ad Iſtrum. Calend. Januarijs, Anno Chriſti, M. DC. LVIII.

LECTORI BENEVOLO.

NE *Vertumnus, aut deſultorius Vates dicar, (quamquam quid intereſt?) ut qui* AGATHYRSUM, *&* ANTAGATHYRSUM, *duo contraria, idem producam; uno ore frigida calidis, macris pinguia miſcere ſolitus; ſuſpectúſque forſan atrociùs: omnino pauca mihi præmonendus eſſe viſus es, Amice Lector. Anno ſeptimo & Trigeſimo hujus ſæculi (quo doctè nugari, ſeculum vocatur) Solatium ſive Encomium Macilentorum conſcripſeram, Anacreontico Carmine, in octoginta quinque Strophas tributo. Oden illam, Ingolſtadij confectam,* AGATHYRSUM *appellaveram: quòd didiciſſem,* PICTOS AGATHYRSOS, *populum Virgilio non ignotum, regiæ coronæ decus nulli deferre conſuêſſe, præterquam Macilento; uti contrà* GORDIOS *nemini, niſi obeſo & præpingui. Cauſſas utrique habuere ſuas: cur ego ſcriberem, habui meas. Tunc quidem habitudo corporis non admodum firmi; ſed & valetudo per aſthmata, ſpirandiq; difficultatem, & mortis confinia ſatis ægrè tracta, in ipſo ætatis flore, ac bivio Herculis ceſpitabat. cenſebar*

bar declinaturus in ſemivivorum cœmiterium certiùs, quàm in craſſè viventium receptacula. quamquam magni nominis vir, ſuam experientiam admovens, auſus fuerat creſcentibus annis, periculum abdominis vaticinari. Haut timidè recepi oraculum: nam in illud pugnare multa quotidie adverteram. Interim non defuere, qui tabidâ phthiſi jam correptum, alij corripiendum; quidam, hac profligatâ, Hecticæ febri nilominùs obnoxium, omni aſſeveratione conjectaverant. Deputabar igitur Fatis, ante Fatum. procerior graciliſque ſtatura, collapſa facies, cava tempora, exhauſtæ genæ, color fugiens, non diſſentire videbantur. Cùm autem ominoſa dicteria perſeverarent; efficiam, *dixi*, ut Macies mea, præ ſaburratis ventribus veſtris, in Orbe, celebretur: *ſimúlque aptavi manum in ſtylum: & à Muſis, quibus me addixeram* (gracili modulatus avenâ) *felicem audaciam mutuatus, cœpi conſolari tenuitatem meam: quódque ſequentibus etiam annis, Lyrica noſtra, Silvæque Venuſinæ loquuntur, cœpi Maciem præferre vaſtiſſimis umbonibus. quippe ni? an minus malum majori poſtponam! Paullò pòſt Agathyrſus noſter Monachij, quò delatus eram, publicam benignámque lu-*

cem aſpexit; exſultans, inſultánſque craſſis cucurbitis. alijs mirantibus, frementibus alijs: Vmbris in corpora tantum licere. Tum deinde perhonorifica Congregatio Macilentorum *instituta, brevi tempore coaluit, magnis illuſtrium virorum, Principum quoque, capitibus in fœdus receptis. denique famoſa, latiſiméque propagata: poſteà quàm Romanæ Linguæ (quâ ſolâ primitùs loqui Agathyrſus didicerat) in Germanorum popularium gratiam, ab Auctore, quaterna Paraphraſis Vernacula acceſſerat: certæ leges inſuper: & ſummus rerum Moderator ac Præſes, ex tractu Rheni deſumptus; mihiq; ægrotanti ac penè conclamato ſuffectus. Tum verò Macies ordinata, ſuique ſecura, palàm erigere collum; oſſeis grallis, velut cothurnis, ambulare ſublimior, impunè deſpicere pingues Dionyſios ac Vitellios, tuburcinantes, Bacchi popas. Certatim pientiſſimi quique viri, ad macerrimum ſacerrimúmque Cœtum, poſt tot Sanctorum Anachoretarum millia, aggregabantur; & inſcribi cupiebant. Eodem tempore, quia Pinguium fæculenta Factio ſuſpirabat; jam tum plures, diverſis in provincijs, ſicut certis teſtibus accepimus, Antagathyrſum meditari dicebantur. Reperta ſunt*

contrà

contrà euntium Exordia, fragmenta, Apologiarum licia, ſtrophæ; variáque tentamenta, ad oppugnandum excogitata. Quod vidimus, irrito conatu, nullo eventu, deſperato ſucceſſu. Ad me, quod monſtri ſimile viſum eſt, ventum erat tandem. Subornabar, ut afflictam partem miſerari vellem, admotis ſtimulis, propoſitis præmijs: Calamum ſive plectrum Poëtarum, eſſe Pelidæ Achillis haſtam, quæ vulnera figat, fixa rurſus ſanet. In his erant præcipui Viri, cùm ſacris Familijs mancipati, tum proceres Mundo militantes, non modicarum opum. Etiam nolens, pinguibus placentis ungebar. Me hercule, propè abfuit, ut condicerem. Iámque inquirendis argumentis, intendebam animum: cùm alia ſuper alia agminatim irruendò, propoſitum primò diſtulere: mox etiam diſpulere. Potiſſimùm diſtrinxerant animum meum incertitudo Sanitatis duraturæ; & præſagium R. P. Iacobi Kelleri. ille quippe ſuprà nominatus magni nominis vir ac vates erat. Tunc ſic mecum: ſi vates fuit! Si verà edixit! ſi nullæ experientiæ aberrant! at ſæpe humana præſagia fallunt: at ſæpe deludimur. Sæpe tamen & non deludimur. Finge te adhuc juvenem in extremã maciem fluxurum. adverſus temetipſum ſcri-

pſeris,

pſeris, deridiculo habendus. inſurgere in ſe, non niſi inſani ſolent. furit, qui violentâ manu in proprium jugulum abutitur. Ergo Antagathyrſi navis in portu hæſit. nunc ſalva res eſt. *emittitur illa modò in altum, tantò inſtructior, remis veliſque propulſa. Metus nimiæ* Gracilitatis *obventuræ, ſi quam Fata ferent, ætati in annum quinquageſimum ſextum vergenti imputabitur, quo ævo, tam, puto, non fuerit indecorum Vati maceſcere, quàm caneſcere. Sin venter excreverit, prævisæ parti dicar acceſſiſſe; quamquam hujus inutilis maſſæ nullus timor.* Paupertatem & divitias ne dederis mihi, *orabat Sapientiſſimus hominum. ego nec copiam carnis, nec inopiã deſidero; certus, cujuſq; felicitatem in medio ſitam eſſe. Quid igitur immane extremum propugnas? inquies. vaſta corporum latifundia commendas: cur non & Tityum* (Terræ omniparentis alumnum) *per novem jugera porrectum? Ex Dedicatione intellexeris cauſſas. plures addere non vacat. Accipe potiùs Scriptionis indolem, & modũ. Armata eſt, inſtructáque ut acies, in hoſtem itura. Quod Cicero monet, Oratori diſponenda eſſe rationum momenta militariter, præliari figurâ. in prælio autem ignavi ſtrenuis, auda-*

ces.

tes timidis, fortibus debiles mixti pugnant. Vix alio robore, aliáque fortunâ conſtare ſolent exercitus. Timidi ſaltem numerum faciunt. Pavitantium effuſa multitudo, quandoque & fortium paucitatem tremere facit. omnia in bello juvant. & calones feriunt permiſti heroibus. quin & ferire adiguntur. Et femineus Paris ſtravit Achillem. Hannibal, ante Carthaginis mœnia, vilibus lixis in fronte pugnæ conſtitutis, hebetâſſe fertur Scipionis gladios. fatigârunt ignaviſſimi trunci fortiſſimos Romulidas. cæſi cædentibus fuere faſtidio ſimul & labori. In hunc modum Apologia hæc bellatrix incedit, nullam panopliam reſpuens; dum noceat. leviorem graviorémque armaturam, adverſus Agathyrſum, in Campum trahit. jam quadrato agmine movens; jam in globum denſata; modò cuneatim porrecta; modò in Lunam explicata, complexu neſcias an conflictu ſtringat. (Quis enim venerab. & ſacram Maciem vero odio proſequi poſſit?) verbo: veros terrores Panicis & falſis auget. Schiomachiam *dicas. in Vmbras umbraticè erat pugnandum. Vt nihil diſſimulem: argumenta veriſimilia immiſcentur vix habentibus veri ſpeciem. immo, ut quædam manifeſtè vera ſint; ſic alia*

lia

lia manifeſtè falſa, artificio tamen tecta Sinonio, in hoſtem, ſtrategematum communi uſu mittuntur. Curvis & rectis armis utimur. In bello impetus valet. quo modo in chartarum luſu ſæpe ignobilior, & ſetis horrida, Regem ferit: nonnunquam peſſima, optima eſt. Quod Leguleis Iuſtinianæis licet; non liceat Poëtæ Satyrico, in Themate innoxio! Multa non perſuadent movendo; movent tamen delectando. conſenſus extorquetur myſterio ſacræ caliginis, vel admiratione ſalientis argutiæ. Amplius audet hæc Scriptio fateri. non paribus armis certatur. Agathyrſus puſillis verſibus luſit, intra ſinum felicitatis ſuæ collectus, & oſſibus non gravantibus contentus. Si pluſculum ſe exeruit, brevi Anacreonticâ Sicâ domeſticè velitabatur; parum in craſſas Pinguium cervices valiturâ. neque aliud in Scena agebatur. Antagathyrſus contrà, Entelli Siculi more, Satyricos cæſtus attollit. inſuta plumbo terga boum contorquens, & macrum miſerúmque Dareta verſans. hinc ictus validi, grandines verborum: denique fragores, & mugitus oſſium. Cæſtus

Dant ſonitus: errátque aures & tempora circùm
Crebra manus: duro crepitant ſub vulnere malæ.

Ad vos me converto, venerandi Sodales celeberri-

berrimæ Congregationis Macilentorum. Permittite Antagathyrſo impetus ſuos. ſinite pingues aliquanto tempore bacchari in Cineralia : ne timere videamini calumniantium furias. nolite invidentium vobis minuere triſte ſupplicium. Laudantur *extra cutem*, ubi non ſunt: cruciantur *intra cutem*, ubi ſunt. *fictis laudibus onuſti dolent, gemunt, ejulant, & diſſimulantium ſcatent miſerijs. Multa illorum nomine, voto, ac ſenſu, accumulavimus : ne arguere poſſent, indulgentiùs vos habitos; ſuſpectaréntque fidem meam, velut alterius Balaami , conductas pretio Diras nequidquam jaculantis ; dicturi :* Segniter rem noſtram egit. videtur colluſiſſe, tamquam ſui ſimilibus. Nihil objecit: parum urſit. Cauſſam agendam in medio reliquit : immo medius fidius in propudio; propudium ipſe fallacis viri. ambidexter eſt homo duarum partiũ. Machiavellum Florentinum in ſinu gerit. Quem præfecimus Factioni noſtræ ! hoccine eſt maledicere !. ô infidum Balaamum Alſatam ! ô Vatem nequam! quadrupes Pegaſus auritus, inſidente bipedę eſt tolerabilior. Cur nemo noſtrûm flammantem machæram in oculos rotat? fruſtra profudimus ſagittas, & cruces argenteas , pro-

 miſſoſ-

miſſóſque theſauros. pactam mercedem negabimus. infidelis fuit. *Nunc verò ejuſmodi querelæ gratis, & quidem ingratijs veſtris ſonabunt. Ecce omnes Ingenij nervos intendimus; ut deſperatiſſimæ Gordiorum cauſſæ ſubveniremus. Exquiſitas ineptias cataphracta ſcriptio minatur. Tempeſtas, & procella vehemens. micant fulgura; tonant nubila, lævùm, & dextrùm. ſed & fulmina diſcurrunt*: quæ tantùm ſummas libabunt vertice criſtas. *Lixiviam præparavimus oſſibus; ex qua nitidior prodibit Macies. Lavacrum Caſtalij Fontis ſplendidiorem remittet. Quid? horrere convitia? Inoteſcat orbi, quâ fronte ſtetis, quâ oſſium membrorúmque compage; quid pati poſſitis. Virtus laceſſita fortior evadit: depreſſa, inſtar palmæ, altiùs aſſurgit. exagitata vires auget; útque putei hyemalis aqua, per antiperiſtaſin intenditur. Ceſſabunt jam ora oblatrantium; Macilentos nullam hoſtilitatem eſſe expertos. Nihil omiſſum, quod detegere calamitatem veſtram, probare patientiam poſſet. conſumpta rabies eſt. Finxi me acerbum, amarum, horribilem, Vatinianum. Et tamen veſtræ ſortis ſum. nondum à Macie penitùs deſcivi. cuperem propinquior fieri. profectò, nolens volens.*

lens ſio. At non impunè Antagathyrſus iſte ſæviet. dabit pœnas: nec tantummodò poëticas. Sonitus procellarum patietur, Verrinis, Catilinarijs, Philippicis mactandus. Sed honeſtiùs, atque robuſtiùs, Afrâ Tertullianæâ ſecuri, in caput impactâ, obtruncabitur. (Dixit; & adverſi contra ſtetit ora juvenci.) *Habebitis eumdem me aſſertorem, vindicémque dignitatis veſtræ: quem, aliorum voluntate, benevolum Calumniatorem ſuſtinetis.* Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis. *Tabeſcant jam veſtra membra, licet: depaſcatur pulmones phthiſis; ſubrepat hectica; tuſſis exerceat; catarrhi irruant; nudentur oſſa; excavata denique facies in punctum fluat: omnibus his malis, extremo Mund Die, promiſſa Anaſtaſis medebitur. illa Pinguium, & Macilentorum dirimet certamina; obeſis virtute præditis, moleſtum terræ pondus ablatura; gracilibus electis æternum gloriæ pondus additura.* In Reſurrectione, *inquit D. Aurel. Auguſtinus*, a neque erit color, qui non deceat; neque Macies, aut pinguedo nimia: neque aliquid aliud, quod partium congruentiæ, & coloris ſuavitati adverſetur. *Nihil igitur mortale curandum, quod beata immortalitas abſorbebit.*

a *lib. 22. de Civit. Dei.*

LECTORI BENEVOLO.

NE *Vertumnus, aut deſultorius Vates dicar, (quamquam quid intereſt?) ut qui* AGATHYRSUM, *&* ANTAGATHYRSUM, *duo contraria, idem producam; uno ore frigida calidis, macris pinguia miſcere ſolitus; ſuſpectúſque forſan atrocius: omnino pauca mihi præmonendus eſſe viſus es, Amice Lector. Anno ſeptimo & Trigeſimo hujus ſæculi (quo doctè nugari, ſeculum vocatur) Solatium ſive Encomium Macilentorum conſcripſeram, Anacreontico Carmine, in octoginta quinque Strophas tributo. Oden illam, Ingolſtadij confectam,* AGATHYRSUM *appellaveram: quòd didiciſſem,* PICTOS AGATHYRSOS, *populum Virgilio non ignotum, regiæ coronæ decus nulli deferre conſuêſſe, præterquam Macilento; uti contrà* GORDIOS *nemini, niſi obeſo & præpingui. Cauſſas utrique habuere ſuas: cur ego ſcriberem, habui meas. Tunc quidem habitudo corporis non admodum firmi; ſed & valetudo per aſthmata, ſpirandiq; difficultatem, & mortis confinia ſatis ægrè tracta, in ipſo ætatis flore, ac bivio Herculis ceſpitabat. cenſebar*

bar declinaturus in ſemivivorum cœmiterium certiùs, quàm in craſsè viventium receptacula. quamquam magni nominis vir, ſuam experientiam admovens, auſus fuerat creſcentibus annis, periculum abdominis vaticinari. Haut timidè recepi oraculum: nam in illud pugnare multa quotidie adverteram. Interim non defuere, qui tabidâ phthiſi jam correptum, alij corripiendum; quidam, hac profligatâ, Hecticæ febri nilominùs obnoxium, omni aſſeveratione conjectaverant. Deputabar igitur Fatis, ante Fatum. procerior graciliſque ſtatura, collapſa facies, cava tempora, exhauſtæ genæ, color fugiens, non diſſentire videbantur. Cùm autem ominoſa dicteria perſeverarent; efficiam, *dixi*, ut Macies mea, præ ſaburratis ventribus veſtris, in Orbe, celebretur: *ſimúlque aptavi manum in ſtylum: & à Muſis, quibus me addixeram* (gracili modulatus avenâ) *felicem audaciam mutuatus, cœpi conſolari tenuitatem meam: quódque ſequentibus etiam annis, Lyrica noſtra, Silvæque Venuſinæ loquuntur, cœpi Maciem præferre vaſtiſſimis umbonibus. quippe ni? an minus malum majori poſtponam! Paullò pòſt Agathyrſus noſter Monachij, quò delatus eram, publicam benignámque lu-*

cem

tem aſpexit ; exſultans , inſultánſque craſſis cucurbitis. alijs mirantibus , frementibus alijs : Vmbris in corpora tantum licere. Tum deinde perhonorifica Congregatio Macilentorum inſtituta , brevi tempore coaluit, magnis illuſtrium virorum , Principum quoque, capitibus in fœdus receptis. denique famoſa, latiſſiméque propagata : poſteà quàm Romanæ Linguæ (quâ ſolâ primitùs loqui Agathyrſus didicerat) in Germanorum popularium gratiam , ab Auctore , quaterna Paraphraſis Vernacula acceſſerat : certæ leges inſuper : & ſummus rerum Moderator ac Præſes, ex tractu Rheni deſumptus; mihiq; ægrotanti ac penè conclamato ſuffectus. Tum verò Macies ordinata, ſuíque ſecura , palàm erigere collum ; oſſeis grallis , velut cothurnis, ambulare ſublimior, impunè deſpicere pingues Dionyſios ac Vitellios, tuburcinantes , Bacchi popas. Certatim pientiſſimi quique viri, ad macerrimum ſacerrimúmque Cœtum , poſt tot Sanctorum Anachoretarum millia , aggregabantur ; & inſcribi cupiebant. Eodem tempore, quia Pinguium fæculenta Factio ſuſpirabat ; jam tum plures, diverſis in provincijs, ſicut certis teſtibus accepimus , Antagathyrſum meditari dicebantur. Reperta ſunt contrà

contrà euntium Exordia, fragmenta, Apologiarum licia, ſtrophæ; variáque tentamenta, ad oppugnandum excogitata. Quod vidimus, irrito conatu, nullo eventu, deſperato ſucceſſu. Ad me, quod monſtri ſimile viſum eſt, ventum erat tandem. Subornabar, ut afflictam partem miſerari vellem, admotis ſtimulis, propoſitis præmijs: Calamum ſive plectrum Poëtarum, eſſe Pelidæ Achillis haſtam, quæ vulnera figat, fixa rurſus ſanet. In his erant præcipui Viri, cùm ſacris Familijs mancipati, tum proceres Mundo militantes, non modicarum opum. Etiam nolens, pinguibus placentis ungebar: Me hercule, propè abfuit, ut condicerem. Iámque inquirendis argumentis, intendebam animum: cùm alia ſuper alia agminatim irruendò, propoſitum primò diſtulere: mox etiam diſpulere. Potiſſimùm diſtrinxerant animum meum incertitudo Sanitatis duraturæ; & præſagium R. P. Iacobi Kelleri. ille quippe ſuprà nominatus magni nominis vir ac vates erat. Tunc ſic mecum: ſi vates fuit! Si vera edixit! ſi nullæ experientiæ aberrant! at ſæpe humana præſagia fallunt: at ſæpe deludimur. Sæpe tamen & non deludimur. Finge te adhuc juvenem in extremã maciem fluxurum, adverſus temetipſum ſcri-

pſeris,

pſeris, deridiculo habendus. inſurgere in ſe, non niſi inſani ſolent. furit, qui violentâ manu in proprium jugulum abutitur. Ergo Antagathyrſi navis in portu hæſit. nunc ſalva res eſt. *emittitur illa modò in altum, tantò inſtructior, remis veliſque propulſa. Metus nimiæ* Gracilitatis *obventuræ, ſi quam Fata ferent, ætati in annum quinquageſimum ſextum vergenti imputabitur, quo ævo, tam, puto, non fuerit indecorum Vati maceſcere, quàm caneſcere. Sin venter excreverit, prævisæ parti dicar acceſſiſſe; quamquam hujus inutilis maſſæ nullus timor.* Paupertatem & divitias ne dederis mihi, *orabat Sapientiſſimus hominum. ego nec copiam carnis, nec inopiã deſidero; certus, cujuſq; felicitatem in medio ſitam eſſe. Quid igitur immane extremum propugnas? inquies. vaſta corporum latifundia commendas: cur non & Tityum* (Terræ omniparentis alumnum) *per novem jugera porrectum? Ex Dedicatione intellexeris cauſſas. plures addere non vacat. Accipe potiùs Scriptionis indolem, & modũ. Armata eſt, inſtructáque ut acies, in hoſtem itura. Quod Cicero monet, Oratori diſponenda eſſe rationum momenta militariter, præliari figurâ. in prælio autem ignavi ſtrenuis, auda-*

ces.

tes timidis, fortibus debiles mixti pugnant. Vix alio robore, aliáque fortunâ conſtare ſolent exercitus. Timidi ſaltem numerum faciunt. Pavitantium effuſa multitudo, quandoque & fortium paucitatem tremere facit. omnia in bello juvant. & calones feriunt permiſti heroibus. quin & ferire adiguntur. Et femineus Paris ſtravit Achillem. Hannibal, ante Carthaginis mœnia, vilibus lixis in fronte pugnæ conſtitutis, hebetâſſe fertur Scipionis gladios. fatigârunt ignaviſſimi trunci fortiſſimos Romulidas. cæſi cadentibus fuere faſtidio ſimul & labori. In hunc modum Apologia hæc bellatrix incedit, nullam panopliam reſpuens; dum noceat. leviorem graviorémque armaturam, adverſus Agathyrſum, in Campum trahit. jam quadrato agmine movens; jam in globum denſata; modò cuneatim porrecta; modò in Lunam explicata, complexu neſcias an conflictu ſtringat. (Quis enim venerab. & ſacram Maciem vero odio proſequi poſſit?) verbo: veros terrores Panicis & falſis auget. Schiomachiam *dicas. in Vmbras umbraticè erat pugnandum. Vt nihil diſſimulem: argumenta veriſimilia immiſcentur vix habentibus veri ſpeciem. immo, ut quædam manifeſtè vera ſint; ſic a-*

lia manifeſtè falſa, artificio tamen tecta Sinonio, in hoſtem, ſtrategematum communi uſu mittuntur. Curvis & rectis armis utimur. In bello impetus valet. quo modo in chartarum luſu ſæpe ignobilior, & ſetis horrida, Regem ferit: nonnunquam peſſima, optima eſt. Quod Leguleis Iuſtinianæis licet; non liceat Poëtæ Satyrico, in Themate innoxio! Multa non perſuadent movendo; movent tamen delectando. conſenſus extorquetur myſterio ſacræ caliginis, vel admiratione ſalientis argutiæ. Amplius audet hæc Scriptio fateri. non paribus armis certatur. Agathyrſus puſillis verſibus luſit, intra ſinum felicitatis ſuæ collectus, & oſſibus non gravantibus contentus. Si pluſculum ſe exeruit, brevi Anacreonticâ Sicâ domeſticè velitabatur; parum in craſſas Pinguium cervices valiturâ. neque aliud in Scena agebatur. Antagathyrſus contrà, Entelli Siculi more, Satyricos cæſtus attollit. inſuta plumbo terga boum contorquens, & macrum miſerúmque Dareta verſans. hinc ictus validi, grandines verborum: denique fragores, & mugitus oſſium. Cæſtus

Dant ſonitus: errátque aures & tempora circùm
Crebra manus: duro crepitant ſub vulnere malæ.

Ad vos me converto, venerandi Sodales celeberri-

berrima Congregationis Macilentorum. Permittite Antagathyrſo impetus ſuos. ſinite pingues aliquanto tempore bacchari in Cineralia : ne timere videamini calumniantium furias. nolite invidentium vobis minuere triſte ſupplicium. Laudantur *extra cutem*, ubi non ſunt : cruciantur *intra cutem*, ubi ſunt. *fictis laudibus onuſti dolent, gemunt, ejulant, & diſſimulantium ſcatent miſerijs. Multa illorum nomine, voto, ac ſenſu, accumulavimus : ne arguere poſſent, indulgentiùs vos habitos ; ſuſpectaréntque fidem meam, velut alterius Balaami , conductas pretio Diras nequidquam jaculantis ; dicturi :* Segniter rem noſtram egit. videtur colluſiſſe, tamquam ſui ſimilibus. Nihil objecit: parum urſit. Cauſſam agendam in medio reliquit : immo medius fidius in propudio ; propudium ipſe fallacis viri. ambidexter eſt homo duarum partiũ. Machiavellum Florentinum in ſinu gerit. Quem præfecimus Factioni noſtræ ! hoccíne eſt maledicere ! ô inſidum Balaamum Alſatam ! ô Vatem nequam ! quadrupes Pegaſus auritus, inſidente bipede eſt tolerabilior. Cur nemo noſtrûm flammantem machæram in oculos rotat ? fruſtra profudimus ſagittas, & cruces argenteas , pro-

 miſſoſ-

miſſóſque theſauros. pactam mercedem negabimus. infidelis fuit. *Nunc verò ejuſmodi querelæ gratis, & quidem ingratijs veſtris ſonabunt. Ecce omnes Ingenij nervos intendimus; ut deſperatiſſimæ Gordiorum cauſſæ ſubveniremus. Exquiſitas ineptias cataphracta ſcriptio minatur. Tempeſtas, & procella vehemens. micant fulgura; tonant nubila, lævùm, & dextrùm. ſed & fulmina diſcurrunt*: quæ tantùm ſummas libabunt vertice criſtas. *Lixiviam præparavimus oſſibus; ex qua nitidior prodibit Macies. Lavacrum Caſtalij Fontis ſplendidiorem remittet. Quid? horrere convitia? Innoteſcat orbi, quâ fronte ſtetis, quâ oſſium membrorúmque compage; quid pati poſſitis. Virtus laceſſita fortior evadit: depreſſa, inſtar palmæ, altiùs aſſurgit. exagitata vires auget; útque putei hyemalis aqua, per antiperiſtaſin intenditur. Ceſſabunt jam ora oblatrantium; Macilentos nullam hoſtilitatem eſſe expertos. Nihil omiſſum, quod detegere calamitatem veſtram, probare patientiam poſſet. conſumpta rabies eſt. Finxi me acerbum, amarum, horribilem, Vatinianum. Et tamen veſtræ ſortis ſum. nondum à Macie penitùs deſcivi. cuperem propinquior fieri. profectò, nolens volens.*

lens ſio. At non impunè Antagathyrſus iſte ſæviet. dabit pœnas: nec tantummodò poëticas. Sonitus procellarum patietur, Verrinis, Catilinarijs, Philippicis mactandus. Sed honeſtiùs, atque robuſtiùs, Afrâ Tertullianæâ ſecuri, in caput impactâ, obtruncabitur. (Dixit; & adverſi contra ſtetit ora juvenci.) *Habebitis eumdem me aſſertorem, vindicémque dignitatis veſtræ: quem, aliorum voluntate, benevolum Calumniatorem ſuſtinetis.* Durate, & voſmet rebus ſervate ſecundis. *Tabeſcant jam veſtra membra, licèt: depaſcatur pulmones phthiſis; ſubrepat hectica; tuſſis exerceat; catarrhi irruant; nudentur oſſa; excavata denique facies in punctum fluat: omnibus his malis, extremo Mund Die, promiſſa Anaſtaſis medebitur. illa Pinguium, & Macilentorum dirimet certamina; obeſis virtute præditis, moleſtum terræ pondus ablatura; gracilibus electis æternum gloriæ pondus additura.* In Reſurrectione, *inquit D. Aurel. Auguſtinus*, *a* neque erit color, qui non deceat; neque Macies, aut pinguedo nimia: neque aliquid aliud, quod partium congruentiæ, & coloris ſuavitati adverſetur. *Nihil igitur mortale curandum, quod beata immortalitas abſorbebit.*

a *lib. 22. de Civit. Dei.*

Oſſa *a* arida, audite Verbum Domini. Hæc dicit Dominus DEUS oſsibus his. ecce ego intromittam in vos ſpiritum, & vivetis. Et dabo ſuper vos nervos, & ſuccreſcere faciam ſuper vos carnes, & ſuperextendā in vobis cutem: & dabo vobis ſpiritum, & vivetis. Et ſcietis, quia ego Dominus: cùm aperuero ſepulcra veſtra, & eduxero vos de tumulis veſtris. *b* Videbitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra, quaſi herba germinabunt. *c* Seminatur corpus animale, ſurget ſpiritale. Seminatur in corruptione, ſurget in incorruptione. Seminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Seminatur in infirmitate, ſurget in virtute. *d* Itaq; conſolamini invicem in verbis iſtis.

a *Ezechiel. cap. 37.* b *Iſaiæ 66.* c *Corinth. 1. c. 15.* d *ad Theſſal. l. c. 14.*

ANTA-

ANTAGATHYRSUS
SIVE
APOLOGIA
Pro Pinguibus, contra Macros.
Ad Bonamicum Pantaleonem.

I.

SOl oritur. Noctis vos ſpectra faceſsite, Macri:
Et quibus affines eſtis, cum triſtibus Vmbris
Cedite lucifugæ. Cedit jam noctua, cedunt
Bubones, Lemuréſque. Dies ſe reddita ſolis
Pinguibus infundit. Macilentis debita nox eſt.
Qualis ſe Titan è gurgite tollit Eoo
Criſtatus radijs, pleno nitidiſsimus orbe:
Ridet ager, rident horti, colléſque ſupini,
Et pronæ valles, ſilvæque, apricáque ſaxa.
A reduci totus renovatur ſidere mundus.
Talis ubi roſeos vultus oſtenderit; omneis
Vel ſolo aſpectu lætos facit *Antagathyrſus.*
Verum Corpus adeſt: pleno quoque lumina vultu
Implet, & expreſsâ pietatis imagine mulcet.
Rident convivæ: rident præcordia; ridet
Menſa mero. Saliunt venæ, lætantur amici.

II.

Cui placeat *Vacuum*? Naturam horrere videmus,
Quodcumque eſt: contráque armatur, militat, arcet:
Turbatur vim paſſa; ſuiſque Elementa reſolvit
Nexibus. aſcendunt lapides, & habentia pondus,
Amittunt. tamquam pennis librantur in altum:
Inque ſinum Terræ deſcendit Pontus, & Aër.
Quódque eſt prodigio majus; fit plumbeus Ignis,
Inferiórque ruit; quamquam contrarius ordo eſt,

Diſſiliunt mediæ rupes: franguntur & æra,
Ceu bullæ, durante vitro. Natura repugnat:
Et vacuos etiam refugit, mihi credite, vultus.

III.

LVNA micans, toto gratiſsima Fratre recepto eſt.
Aſt ubi fulgor hebes cornu vaneſcit inani;
Currunt Aemoniæ matres, & cymbala pulſant.
Macca ſoror Thraſeæ, nuper deſponſa Fritillo,
Poſt aliquot menſes, vultu quàm deſide, quámque
Exhauſto ſpirat! pelves miſeranda canoras
Poſcit in auxilium; ne tota ecliptica fiat.

IV.

Iſtri Pegaſides, *paullò majora canamus.*
Dicite Macrorum (nam vos memorare poteſtis,)
Ortum & progreſſum; prima incunabula ſectæ.
Aurea cùm primis radiaret ſolibus ætas;
Nullus in orbe Macer fuerat; neque Pallor, & Horror:
Nec tabes, pecorúmve lues, vel anhelitus æger:
Nec ſteriles baccæ, neque culmus inanis in arvis.
Pinguibus almus ager latè canebat ariſtis.
Pinguibus undabat vindemia larga racemis.
Pinguia Niliaci ſudabant balſama trunci.
Pinguia paſcentes tendebant ubera vaccæ.
Corpora Terrigenûm vivacia, dignáque viſu
Omniparens Tellus nixu produxit eodem.
Paullatim minui cœptum defecerat aurum:
Defecere dies flavi, tempúſque Gigantum:
Membráque deterior fluxus contraxit in arctum.

Viderunt primos argentea ſecula Macros:
Non tamen horrendos viſu, Gravidíſque timendos.
Corporibus fractis aliquid deceſſerat oris:
Sic tamen, ut poſſent expertia fraudis amari.
Poſtquam Aſtræa fugam ſecuit per nubila; fugit
Forma quoque, & ſolidi Majeſtas corporis unà.
Cum Forma fugere Pudor, Candórque, Rubórque:
Et quidquid plenum eſt; & frontis amœna voluptas.
Inque Iocum Macies rictus exſerta caninos,
Cúmque Fame damnata Sitis, Vapor, atráque Bilis,

Et

Et Morbi ſubiere: animálque, quod *Hectica Febris*
Dicitur, & putri fixa in pulmone teredo.
Supprime Muſa, precor, funeſtum ſupprime nomen.
Vel ſonus auditus trifido præ fulmine terret.
Hæc viſcoſa lues, Athalia, Fulvia, Clotho,
Phthi. Sed enim ſileo: Macrorum hęc ultima pauſa eſt.

V.

Vix adeò Macies dirum caput intulit Orbi:
Funereæ volucres gemuerunt carmine rauco.
Aligeri mures aucti: bubonibus aër
Repletus: plauſere ſuis Nyctæides alis.
Vipera mox nocuit morſu: nocuere voraces,
Exoſique lupi: ſcabies vaſtavit ovile.
Invaſit ſubitò tabes jumenta, gregéſque;
Intactóſque priùs porcos porrigo necavit.
Fertile quid poſsit Macro ſub Conſule naſci?
Si ſimilis gaudet ſimili, ut proverbia dicunt;
Quæ ſeges, aut pinguis reſpondeat uva colono?
Quem ſibi diſsimilem Pater averſatur Iacchus:
Averſata Ceres ob cauſſam illudit eamdem.

VI.

In probrum vergit natura ſequentibus annis.
Incrementa Macris totum minuentia Corpus,
Præbuit arcta ſpecus Stoa; Zenoníſque fimetum.
Tradita fœtendi doctè Seſſoribus ars eſt
Socratis in crypta: cum quo Dis ſæpe locutus.
Ex horum ſtabulis Macies gibboſa, treménſque
Prodijt: & potuit ſaltem ſapuiſſe videri.
Priſci Mortales olim apparere ſolebant
Carnoſi, magnique viri, poterátque coloſſus
Eminus agnoſci; ſeu ſtaret, ſive jaceret.
Cúmque ſalutarent ſeſe; data dextera dextræ
Perſonuit: ſic, ut reſiliret in aëre plauſus.
Laudabátque ſuam Genitrix Germania prolem:
Qualem Lechus adhuc, & plana Polonia gignit;
Quíque alij populi gelidam vertuntur ad Arcton.
Quantula, prô ſuperi! jam nunc corpuſcula dantur!
Quàm graciles digiti, quàm vani pumiliones!

Dimidij vultus : hominum monogrammata tantùm :
Effigies potiùs ceratæ, & buxea ſigna.
Vix oculos incurſura,& vix digna videri.
Garſi (nónne vides ?) hærent quaſi pendula membra
Ex unco. locus eſt ventris pro ventre *Marillo*
Penè vitris opus eſt , ut coràm denique cernas:
Sitne hominis verum corpus, vel linea ſimplex.
Præ tamen *Archetypo* depaſcitur omnia *brucho.*
Forma virum,ſolidæque decent in corpore vires.
Hoc Natura probat. Nihil eſſe potentius,atque
Velius ſcimus Ventis : ſeu carbaſa tendant,
Seu pluviam inducant fecundam,atque ęthera purgent.
Nunquam pinguntur graciles. Notus eſſe fatetur
Aërius tubicen , Zephyróque valentior Eurus.
Robuſto gaudet rapta Orithyia marito,
Iam Conjux Actæa; ſuóque Aquilone ſuperbit.
Pinguntur graciles Parcæ: (quid anilius iſtis
Lanificis?)ut & Eumenides, materteráque harum.

VII.

Schœnobaten,& qui plebejus agyrta petauro
Ludit : & Anglorum ſaltantem more, choreuten,
Et græcum Aethiopem, toleres, agileſque, leveſque.
Dum captant populo muſcas. Ad publica nati
Munia Prætores habeant ſpectabile corpus:
Tale quidem, ut poſsint ſublimi in ſede videri.
Conſul honoratur,qui factus *honorat HONOREM.*
Quid facit in ſella lacrymabilis Vmbra Curuli ?
Imperium ſua forma decet, formámque poteſtas.

VIII.

Scilicet Alcides, & qui ſe fortibus armis
Semideos cœlo dignos,& ſanguine Divûm
Eſſe probaverunt : magno Telamone creatus,
Et Laërtiades, & Ductor Regum Agamemnon,
Aeacidéſque, Anchiſiadéſque,& Troïus Hector
In modicos artus Macri fluxiſſe leguntur !
Contemptor Divûm fuerit Mezentius : atque hunc
Venerit Aeneas contra, verba aſpera miſcens,
Et ſimul arma. *manet* tamen *imperterritus ille*

Hoſtem

Hoſtem magnanimum opperiens, & mole ſuâ ſtat.
Mole ſuâ. nulli macilenti mole ſuâ ſtant.
Nam perhibent uno Zephyrum,leve pondus in auras,
Baſiolo (nec ſartor erat) difflâſſe Philetam.
Tantus erat. Tityum non ſic citus auferat Auſter:
Ter tria porrectum in præpinguia jugera corpus.
In Pallante probant immania pondera balthêi
Immanem truncum. Saxum circumſpicit ingens
Turnus, & antiquum; jacuit qui limes agrorum:
Et jacit. hoc nullus macer à tellure levâſſet.
His miſsis, venio Faſtos propioris ad ævi.

I X.

Carolus Auguſtus, tam re, quàm nomine magnus,
Exhibuit magnum Corpus,validóſque lacertos.
In *Craſſum* fruſtra ſtrinxiſti ferrum Agathyrſe.
Tu vitio vertis, quod laudi ducit obeſus.
Tu probrum cenſes, quod noſtri gloria *Craſsi* eſt.
An non *Rudolphos* canit, *Albertóſque*, gravéſque
Fama *Sigiſmundos*, & *Ahena* fulmina *Barbæ*?
Iſti Cæſareas digni implevere coronas.
Ex oculis Reges, ex vultu ſceptra notâſſes.
Ad famam prodeſt, populum perſtringere pompâ;
Promptiùs obſequio Ducis ut mandata capeſſat.
Quod faciunt Pingues præſentiùs. inde reſultat
Mixtus amor terrore, & terror mixtus amore.
Eſt, ubi contemptum Macies vel ab æthere lapſa,
Argentóque nitens parit, & circumdata gemmis.
Nôſti, *PANTALEON*, Rapicellum Saxone natum:
Quem ſua quantumvis jam luſtrum Mater agentem
Impoſitum calatho, dum lætabantur amici,
Intulerat menſæ ludum factura jocoſum.
Pòſt tamen *in longum* crevit ſubeuntibus annis,
Sed nihil *in latum*. propior monſtro eſſe videtur,
Illum, age, tu cocco Tyrio, & Sidonide lana
Involve, exorna: totum fac Sardonychatum.
Torque humeros, ſceptróq; manus,caput excole mitrâ;
Aedificáque novum; tantò mage feceris illum
Ridiculum, ex ficu formatus ſtabit, ut Hermes.

X.

Propterea & falſis dederat Dijs cauta Vetuſtas
Prægrandeis artus, Divóſque decentia membra.
Turget enim Bacchus: crudeſcit ſanguine multo
Luxurians Mavors. juvenem Cyllenius ales
Purpureum præfert. primus quoque Iuppiter ambas
Inflat apud Flaccum buccas; pelagóque ſecundus
Ingens aſſurgit, quoties ciet æquora [illegible]do:
Aut Claſſem Iliacam vertentes increpat Euros.
Venatrix Diana cavis in vallibus errat:
Attamen ipſa cavas valles in vultibus odit.
Qualis in Eurotæ ripis, & Oreadas inter,
Quàm ſaturo fulgore genas incenſa vagetur;
Quis neſcit? nullam patitur macreſcere Nympham.
Torva quidem Pallas, ſed non macilenta virago,
Brachia protendit tumidis luctantia venis.
Scires ex Cerebro Iovis eſſe, & nectare natam.
Nemo ex Dijs macer eſt, præter communia ſilvæ
Numina, capripedes Faunos, & Pana ſalacem.
Hos amor emaciat, Venerı́ſque inſana libido.
Vos gentes moneo variâ ferrugine tinctas;
Fervida quas calido poſuit Natura ſub axe.
Corpora ſi multos floreſcere vultis in annos,
Spicula torquentem vitate Cupidinis arcum.
Vulnus alunt venis, & flammæ viſcera carpunt.

X I.

Nullus inops adeò mentis, ſanctíque Decori,
Virtutem facie ſquaroſâ ut pingeret ullam.
(*Squarosâ* dico. verbi eſt Lucilius auctor
Oſcus, & ad noſtras pervenit Caſcus hic aures.)
Relligio, Pietas, Conſtantia, Páxque, Fidéſque,
Virginitas, veneranda Themis, Patientia vernant:
Vtque roſæ, Auſtriaco luctantur molliter ore.
Sola genas triſteis, ſciſsis Metanæa Capillis,
Exbibet in luctu, tamen hæc quoque pinguibus ora
Humectat lacrymis, ac ne ſit ſicca, rigatur:
Lotáque rore ſuo pulcrum facit ipſa dolorem.

Ac

At Vitia aſpicias, tamquam ferale catharma.
Medeas referunt. Diſcordia pingitur amens,
Fœda genas, crineis, veſtitum. turpis Egeſtas;
Terribiles viſu forma Letúmque, Labórque.
Ambitio ſquallet; tetris exercita curis.
Mordetur, mordétque ſuos furioſa labores;
Supplicúmque ſuum eſt. Livor ſe eviſcerat ipſum.
Fraus, Dolus, Ira, Timor, fera Deſperatio, Curæ
Diſtortas porgunt facies, obſcœnáque roſtra.

XII.

Invidiam exſanguem, quia ſolis paſcitur hydris,
Lurida vipereo faciunt alimenta colore.
Pallor in ore ſedet: Macies in corpore toto.
Nuſquam recta acies. Vis jam committere pingueis
Cum Macris? fas ſit. non diſsimulamus agonem.
Quid noſtrum incuſas *Baſcaudum*, ſi bibit urnam,
Et capit exhauſtam? *ſaltem non invidet ulli.*
Græcatur, potat, fœtétque *Trimalcio: ſed non*
Invidet. Aurunci nota eſt laſcivia: *ſed non*
Invidia. Armenius præceps deſcendit in iram:
Sed non invidia ſtimulis agitatur amaris.
Goſſonis madidi totæ ſunt orgia noctes:
Sed, *quando invideat,* quæro. Salit, atque trapeta
Huppius aſsiduò pulſat: quando Huppius autem
Invidet? Eſt ventris ſtudioſus, & ebrius *Ilco*,
Lentus, iners, piger, ignavus: *ſed an invidus unquam?*
Vxorem *Titius* furcis rabioſis abegit:
Sed *nunquam audivi.* Titium *invidiſſe* maritis.
Invidiâ nihil eſt funeſtius. hæc ſcelus omne eſt.
Immunes hujus, quamvis ceu nocte latrones
Conſurgant, cellis, loculis, thalamiſque moleſti;
Haut ego deſperem melioribus emendare
Conſilijs; atque à diris avertere cœptis.
Quem ſemel ærugo livórque exedit, & uſsit;
Luctibus immoritur. Spoliatus munere vitæ
Vivit in exitium. fruſtra conabere tactam
Hac labe Aglauron, veniat licèt ipſemet Hermes,
Affari, & fibris hamatas vellere ſentes.

Invidâ non cedet Dijs, deſponſæque Sorori.
In limen priùs,& ſilicem mutabitur atram.

XIII.

Doliolum fragile eſt humanæ portio vitæ.
Ceu muſtum (ſed non ſine fæce) *Puertia* vivax
Prima ſalit. ſequitur florens, ac læta *Iuventus*:
Spumat adhuc de fonte tamen. nat ſpiritus intus.
Aeſtuat,& bullit vinum hoc juvenilibus annis.
Aetas ex medio teſtæ, quaſi ventre, *Virilis*
Profluit, útque merum, collectis viribus exit
Fortiùs, ac venas animoſo ſanguine replet.
Poſterior ſtillat non defæcata *Senectus*
Ampliùs ; & chiragram ſecum trahit, atq; podagram.
Mors latet in fundo : macies eſt proxima vappæ.
Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo ;
(Vates, qui tantùm non penè pependerat, inquit.)
Macrorum, dicas. nam quid tenue eſt magis illis.
Scilicet expertes morborum ; ut Carmina dictant
Delphica. proluvies immo torrentior urget.
Pluribus agmen ineſt. quos febris acutior urit ?
Macros. In quorum Sphacelus ruit oſſa tremendus ?
Macrorum. Cujus latus haſtâ crebriùs haurit
Pleuritis fodicans ? macri. Quos improba tuſsis
Sæpius infeſtat ? Macros. Quos ſæviùs angit
Icterus ? ut dixi, Macros in felle natanteis.

XIV.

Hæc mala tranſirem, quia publica : præterea ſunt
Depyges ; ſempérque dolent, ſempérque queruntur.
Vt ſedeant bene, pulvillis opus eſt tribus, aut ſex.
Affer adhuc unum. Sed & infrà ſterne tapetem.
Subijce & Empuſæ plumas, & vellus olorum.
Mollius invenies in læva parte cubilis
Pulvinar. quæſo, adjungas & molle theriſtrum.
Dum probat,& mutat; nova juſſa, precéſque ſequuntur.
Credas mandari ſuprema negotia belli :
Militiæ veſtes, tentoria, caſtra parari.
Quanto opus eſt ſumptu , quis ſudor, *poſſe ſedere* !
At *Marcus Craſſus* ſua pulvinaria ſecum

Fert

Fert ſemper. quocumque loco proſternere membra
Contigerit; velut in thalamo, ſpondáque quieſcit.

X V.

Omnes debemur poſt Fatum vermibus: omnes
Iure ſepulcrali ſerpentibus eſca paramur.
Sed Paulus Naſamon, Petro Naſamone creatus,
Incipit, ante necem, ſteriles præcerpere fructus
Mortis, & eroſo tineas oſtendere vultu:
Inter ſemineces, nunquam, ſempérque ſepultus.
Luridus aſpicitur, faciémque exporrigit Hopper,
Quam liber anteiquus, deformatúmque Volumen
Marrodij: toto quod nec ſemel inſpicit anno.
Et tamen in Medicis vult Aldrovandus haberi.
Sufflа. Galeno non ſufficit, Hippocratique,
Eſſe macrum, & tereti venas tentare manu. quia
Immo obſervatum; Pingui feliciùs Artem
Cedere, & in morbos graſſarier ampliùs amplum.
Morbus pejorem morbum cur cedat habenti?
Ergo priùs pellat maciem, repleátque lacunas.
Quàm miſerum eſt, fieri funus, vivúmque, vidénſque!
Hinc Perlamottus macer, aut fit fabula vulgo;
Aut terror pueris, aut occurrentibus omen
Matribus: aut anni votum fraudantis imago.

X V I.

Excute Naturæ ſenſus. Humentia ſiccis,
Fortia debilibus, macilentis pinguia præfert.
Vt ne Marmarica memorem de ſtirpe leones,
Immanéſque feras: quarum non uſus in urbe,
Vel campo eſt; tamen has ipſas laudare ſolemus,
Sub viſum ductas, quando nil corporibus deeſt:
Spectamúſque hilares peregrini ſanguinis Afrum,
Flavum colla jubis; amplúmque in pectore pondus.
An non delectat toto magis ore Britannus,
Arcadicúſque canis, Lacedæmoniúſque melampus:
Quàm lacerus ſiquis demittit flaccidus aureis.
Spadix mulcet equus: quem ſubrigit *ardua cervix;*
Argutúmque caput: brevis alvus, obeſáque terga;
Luxuriánſque toris animoſum pectus. in hujus

Crebrior exſultat volucris victoria tergo.
Qualis Amyctæo domitus ſub Caſtore, frenos
Infecit ſpumis. Ducenteis ilia confer,
Et macie ruptos. nempe averſamur ineptum
Segnipedem, dignúmque molam verſare Nepotis.
Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ,
Solus homo placeat miſer, imperfectus, inanis
Vmbra, carens formâ; rudis, indigeſtáque larva.
Circulus in juſto vultu, quia ſphæra, *figura*
Perfecta eſt, decet; atque virum conſummat, & ornat.
Vix ab adumbrata Centronius icone differt:
Tam cavus, ac vilis. Sed Quarantonus imago eſt,
Qualem Belga Rubens ducebat corpore toto
Extantem. tenuis Gagus eſt *Smiſeckius ari*
Inciſus. poſsis interdum quærere, quid ſit?
Mus an equus: lupus, ánne lepus; lepus, ánne lagopus,

XVII.

At non ſtrigoſam pecudem mactavit ad aram
Numen Abel venerans, Mundi pars quarta recentis;
Sed teneros hædos. ovis optima ſanguine ſaxum
Tinxerat. hinc placitus penetravit in æthera nidor.
Sacrificus laudatur adeps, & in oſſe medulla.
Pinguis ABEL IUSTUS: Macri, de ſtirpe *Caini.*
Conſule Romulidas Veteres. meliora ſuis Dijs
Obtulerant, quoties cœleſti ſulphure tacta
Culmina templorum: Tybris mutaverat alvêum;
Sanguinei cecidere angues, aut ſaxeus imber:
Victima procubuit Iunoni taurus opima.
Ipſum etiam voluere popam non eſſe caducum:
Certiùs ut vittâ bovis inter cornua vincti
Ante Deos caderet dextrâ librata ſecuris.
Hæc lex ſancta Numæ. quo ritu nempe Quirites
Allicere ad Sacrum, non abſterrere, volebat.
Turpe cavâ facie ringens ante ora Sacerdos.
Turpe macer ſcalptus vacuis, ut ſimia, rugis:
Debilis in fano tremulis conſiſtere plantis.

XVIII.

Sed jam Relliquias Danaûm, & Sapientis Vlyſſei,
Oſſáque poſt mortem jactant reverenter haberi;
Cùm Caro putreſcat, medicina potentior herbis
Omnibus, & Phariæ regionis *Mumia* donum,
Exſiccatus homo, terráque, maríque probata.
Obruimur. vivas felixque Agathyrſe, triumphes.
Huc igitur ventum eſt, ut inane cadaver, & unctum,
Vt nobis etiam laudetur *Mumia*! nobis
Vt Peluſiacas commendet navita merces:
Et verpus myropola ſuas! damnare Canopi
Dona ſuperſedeo. quid ſi meliora reponam
Munera, naturæ liquidis de fontibus hauſta:
Non eſt in medica quidquam præſtantius arte,
Quam ſtillans humanus adeps. quid Mumia dicis?
Oſſa canes rodunt. ſi non pretioſior eſſet
His caro nunquã illud triſte accineretur; AD OFFAM
FESTINATE VIRI. *Serò venientibus oſſa.*
Culta tamen fulgent, & fragrant oſſa piorum.
Quis negat? ô utinam ſtudio flagrantiùs omni
Intendatur honor. Quid ad impia dicitis oſſa?
Infami certè demptis de ſtipite factus
Annulus induitur, magicóſque adhibetur ad uſus.
Plura petis? veſtris ex oſsibus alea pernox,
Orbatura viros, atque orbatura parentes
Conficitur. matres, uxoréſque alea cogit
Ad lacrymas, laqueúmque, & non innoxia verba?
Quid Veneris pecten? quid acus crinalis? &. oſſa
Hæc nebulonis erant quocumque ſub aggere functi.

XIX.

Iſtri Pegaſides; *paullò majora canamus.*
Crede mihi, infida eſt macies, Pinguedo fidelis.
Vultus opimorum nullum gerit ore Sinonem,
Vltrò faſſurus; quòd non ex aëre vivat:
Quòd pulpam perdicis amet: quòd pultibus aprum
Præferat, & vapidis ſpumoſa tomacula piſis.
Sed datur enormis macilentus hypocrita; qui poſt
Abſumptos ſeptem tauros, ipſúmque Milonem,

Extenuat faciem; quaſi tantùm guſtet eremum.
Rectiùs adverſum Caci rapiendus in antrum.

X X.

Quis ferat hæc? magno ſtridens *Agathyrſus* hiatu,
FRANCISCOS jactat, claráque in valle ſedentes
BERNARDOS: & monticolas, nemorúmq; colonos.
Laudo & ego. .da, qui gemat, oſtenſâ dape: da qui
Pranſurus ſignum Campani ploret ad æris.
Qui totos menſes exegerit abſque Caniſtro.
Sed vos æquatis, ſi non & vincitis urſos:
Cúmque Minore Vrſam Majorem, Parrhaſin Arcton:
Atque adeò plauſtro quidquid vectatur eodem.
Laudatis cæpas, & deglutitis ovile.
Centum vervecès mediâ non amplius horâ.
In barathrum ventris totas demittitis ædes,
Atque focos; menſa cum vaticinantis Iuli,
Et mappa Hermogenis. nullas habet hæc gula metas;
In tales ſtomachos cervi cum matribus intrant.
Atque illis etiam, quæ non ſenſere tonitru.
Et tamen introrſum facies agitur miſeranda.
Ede: canina fames dicenda eſt, ánne lupina?
Bos, cedo, Agenoreus, ſi bos, *Deus ille deorum*,
A Iove in Europæ raptum formatus, adeſſet:
(Certum eſt, non macri bovis aſſumpſiſſe figuram.)
Parceret huic Liſamas! Liſamas huic parceret! ille
Depeculator atrox, totum cum cornibus albis
Devoret impatiens, & ſæva in viſcera condat.
Nónne hoc eſt Curios ſimulare, & Fabricios, &
Frugales Fabios; ſed vivere Mæcenatem!

X X I.

Quorſum autem hi ſumptus? equidē convivia in ipſis
Pinguibus apparent: alimentum in corpora tranſit;
Et loquitur facies epulum ritè eſſe peractum.
Helluo Labruſcus, Scyllámque, ipſámque Charybdin
Vincit, & expleri nequit alta vorago vorando.
Non, etiam Romanus eques ſi Curtius intret,
Deſcenſu coëat nunquam ſatiabilis alvus.
Noctes, atque dies patet atri janua Ditis,

Tan-

Tanta fames fuerit fortaſſe Eriſichthonis olim
Sacrilegi, cui cauſſa cibi cibus extitit ipſe.
Tu tamen *ignores*, licèt obſervare *labores*:
Traijciátne dapes, an ſubter ſcamna cadat daps.
Nil etenim ſervat, (fraus *inteſtina*) nec in ſe,
Quamquam avidè veſcens, macilenta Ciconia vertit.
Sic oculos vulgi cùm faſcinat, integra fœni
Plauſtra, rotas, & equos, magus abſorbere videtur.

XXII.

Audi Trararam Cenum, quid ſentiat. audi
Trararam Ciſcum fratrem; Si conjuge, dicunt,
Abſtinet eunuchus: cur non macer abſtinet eſcâ?
Fructus utrinque perit: neque cauſſa apparet edendi.
Vaſtatur tantùm penus, atque alimenta dehiſcunt.
Nullum Corpus alunt. ſic nomen deficit ipſum.

XXIII.

Vt longa aſſueſcit longis anguilla colubris:
Sic macri quidam ſimiles errantibus umbris
Ire ſepulcrorum, cúmque his habitare feruntur.
Ergo, ſufficiant quæ ventre carentibus eſcæ;
Feſtivo referam oſtento. monſtravit Apollo:
Quique meum juxta Morpheüs latus adſtitit albus.
Dum feror in ſomnos; méque alta Poëtica nubes
Obſepſit: vidi mira, aut vidiſſe putavi.
Fas vidiſſe fuit: fas ſit mihi viſa referre.
Lucus erat, piceiſque frequens, atque ilice denſa:
In medio taxus, taxóque adjuncta Cupreſſus;
Vtraque ſacra pijs, dilecta & Manibus, arbos.
Haut procul obſcuras volvebat rivulus undas,
Cimmerijs ſimileis; niſi quòd fulgore superno
Percuſſæ fugerent, divexarént que lapillos.
Cornua creſcentis Lunæ non tota coibant.
Tertia pars orbi plenam factura triformem
Deerat adhuc. tacitos peragebant ſidera curſus.
Cùm Dea pulſatis circùm Libitina ſepulcris,
Excivit Maneis ad amicæ gaudia noctis.
Ter deni exciti, Parcis comitantibus, ibant.
Duxerunt choreas conſerti brachia mutas.
Nullos audiſſes cantus citharæve, lyræve. Exi-

Exiles ſtrepitus edebant oſsibus ictis –
Ad certum numerum. qui mos levibus pueris eſt:
Quum digitis crepitant colliſis; ſicque laceſſunt
Luſuri nodis plaudentibus articulorum.
Obſtupui: Maciéſque mihi velut inclyta duci
Sponſa choro viſa eſt. nec me fallebat imago.
Ducebatur enim pallens, levis, oſſea Nymphe.
Inſoliti hinc motus Vmbrarum, atque otia calvis.
Menſa parabatur congeſtis Sandapilarum
Fragminibus: poſitam *mentâ exterſere virenti*,
Quam ſimul inſtratâ funebria lintea mappâ
Texerunt; accumbendi data plena facultas.
Ecce ſepulcrali cinis apportatur in urna,
(Credo, vicem conchæ Salis) in medióque locatur.
Tum *Mare* (vas ingens) repletum follibus *aneum*.
Pluribus in vaſis demeſſa papavera vidi.
Herbarum viguit ſuperadditus uſus earum:
De quibus expreſſum nox intempeſta ſoporem
Colligit, in ſpeciem ſolitum coäleſcere lactis.
Fercula præterea nulla aſpicienda dabantur,
Præter funereâ nebulas caligine miſtas
Grandibus in pateris, & plenos aëre diſcos.
Pocula ſunt calvæ: ſumptúſque infunditur humor
Gurgite Lethæo, ſpumis oblivia miſcens.
Omnia olent tumbas, & ceſpitem, & æthere caſſum
Corpus, & ambuſtum gramen, bibulámque favillam.
Mireris moreis. Simulacra minora miniſtrant
Summano; majora ſedent. procul eſſe jubentur,
Vertice de quorum nondum eſt fatalis ademptus
Crinis: quod Niſi coma, Didoniſque probabit.
Permiſſus tamen eſt veſpillo Diaulus adeſſe:
Atque aliquot Medici, quos clarat fama creandis
Manibus inſigneis, tranſmittendiſque Charonti.
Has grates referunt Vmbræ, ſanctéque precantur.
Fax cunctis diluta micat. pro lumine vero
Ardent lampyrides, modicúmque nitentibus alis
Scintillant. tenebras etiam funalia findunt,
Et caſtigatæ jam dudum ad funera tedæ.

Con-

Contrectare cibum manibus,cultróque,nefas eſt.
Falcibus, aut buxêis, ſed inania veſca,bacillis
Pertentant: quo more ſolet pranſurus Iapon.
Porrò aliquid glutire, nefas. decerpere odorem,
Et guſtare licet. quadræ guſtata reponunt:
Signáque dant nutu, ſe prælibâſſe ſaporem.
Lex antiqua loqui prohibet. vox excidit ore
Nulla: tacent omnes; & ad unum immaniter omnes.
Sternutant,vel hiant (hoc non prohibentur) & hiſcunt.
Interea tubulos inflant,quod nulla vetat lex,
Ac proprios artus: inflammatóque Tabaco
Alter ad alterius ſe vertit & ora,vaporat.
It fumus cœlo, piceáque intexitur umbrâ.
Hic potus vacuis, hæc eſt concesſa voluptas.
Fit ſubitò plauſis fragor osſibus. inde repentè
Surgitur. hinc varij curſus, variique recurſus.
Olli ſecedunt: olli ulteriora reflectunt
Se in ſpacia; ac Maciem,& Libitinæ munus adorant.
Ter circum menſas alternis orbibus orbeis
Impediere: ter accenſis ſiphonibus ignem
Fumificum, & fœtorem, *ululatúſque ore dedere.*
Nec mora: (namque Oriens radijs afflavit anhelus)
In tenues ventos ventoſum evanuit agmen.
Talia quis culpet nullo convivia luxu
Stantia? vel ſi aliquo; quando non ſufficit aër?
Non opus eſt magnis heic ſumptibus.Hoc epulum quis
Invideat? ſit fas, liceátque accumbere Macris.

XXIV.

Huc, Agathyrſe, veni. Si cœna parabilis ulla,
Frugaliſque ſapit. totas concedimus ollas;
Hiſpanas etiam, *putres* cognomine dictas;
Auraï plenas denſatæ, & ſimplicis ignis:
Quidquid & intactum cœnans Libitina reliquit.
Invito: ne quid pereat, conſumite. fruſtra.
Macrobij pulpam, non pulmentaria quærunt.
Non lentem, viléſque fabas; ſed viſcera Porci
Trojani. mágnâ, *lautáque paropſide vivunt.*
Exſpectant avidi: dum phœnicopterus ingens
Advo-

Advolet, & Geticis avis intercepta pruinis.
Quin etiam rhombis, mulliſque, lupiſque minantur.
In quem verò locum pertuſus ſacculus hæc fert!

X X V.

Iidem crudeles, qui tot convivia ructant;
Oſſe alios paſcunt, pinguis ſe flore medullæ.
Nullus ineſt, vel rarus amor, vel gratia macris;
Vt miſerum relevent. chalybis præcordia duri
Non fletum admittunt. nihil eſt immitius illis.
Pinguis ſeſe hominem verbis, factiſque fatetur.
Funere conſpecto ſeu matris, ſive ſororis,
Seu conſanguinei, quamvis à ſtirpe remoti;
Dat gemitus, ſuper incumbit; ſique ultimus errat
Halitus, in nareis, inque intima colligit ora.
Timones macri, ſicco pede, lumine ſicco
Prætereunt tumulos, & plenas fratribus urnas.
Heic, ô, quæ ſemper fueras, nunquámque fuiſti
Regina, heic poſſes conjux clamare Sichæi:
Anna ſoror, ſoror Anna: mea malè conſcia culpa:
Num fletu ingemuit noſtro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit, aut miſeratus amantem eſt!
Hoc pater ad Gnatum, Fratrémque Sororia poſſet
Vmbra loqui. macros. pietatis deficit humor;
Irrorat natura parens & corda ferarum:
Anne hominum nequeat! puero Pallante perempto,
It bellator equus, poſitis inſignibus, Aethon
Illacrumans, guttiſque humectat grandibus ora.
Quin & mygdonij, quos frenat magna Cybelle;
Eutropius Phrygias poſtquam vaſtaverat arceis;
Dicuntur *lacrymis torvi maduiſſe leones.*
Sola (pudor!) Macies durata liqueſcere neſcit.
Cum tamen & glacies ſole accedente liqueſcat.
Lucas *Pumicius,* quia nil lacrymabile habebat,
Extulit, ut pumex ſicciſſimus, antè ſororem;
Pòſt matrem. Quam defuncto donaret amico,
Nulla fuit toto nimirum in Pumice gutta.
Sudavit tamen iſte lapis, ſi perdidit unum
Ex loculo nummum; ſi flevit Aleſſia pellex.

Mitior

Mitior, ô, quantò *Tranſonius* ! æquora paſſis,
Naufragium, caſus Fortunæ, buſta, ruinam,
Condolet, ac totus conſentit. fortè jacentem
In campo offendit, nigræ ad confinia Silvæ,
Conciſum plagis : ſanie, tabóque fluentem
Allevat ; inque ſuo lapſantem ſanguine tollit :
Cúmque oleo vinum ramoſa in vulnera vergens,
Curaturus equo ſublatum imponit, & aufert :
Officiúmque pij Samaritæ præſtat. *Alanus*
Præterit ægrotum, minimúmque juvare Sacerdos
Diſſimulat. macer eſt. riget intra viſcera Saxum.
Vtraque dura manus : nec Stoica fibra movetur.
Atqui etiam Niobe, Niobe Sipylëia mater,
In marmor converſa madet ; fletúſque notantur
Signa, quibus ſatiat luctum, natiſque parentat.
Accedat pauper, per ſacra, per optima quæque
A ſuperis ſperanda roget Certellio nummum.
Admoveat lacrymas etiam ; tandémque coactas
Blanditias, ipſum Plutonem, & Porthmea torvum
Flexuras. *Pulcrum Dominum* vocet, atque *venuſtum*
Euryalum. fruſtra. ſtips parva negatur egenti.
Mens immota manet. lacryma volvuntur inanes.
Sentibus excutias uvas priùs, ilicibus tus.

XXVI.

Reſpice *Reſpicium* : cui ſunt exilia crura ;
Qualia Lydorum textrix ſuſpendit Arachne.
Quid das, ut tibi det ? turpiſſimus Euclio condit
Theſauros. *populus me ſibilat : aſt mihi plaudo*
Ipſe domi : dixit quidam digniſſimus unco.
Reſpice Gotſchalcum dura ſub pelle latentem,
Ecquid ab hoc ſperes ? ſunt & promiſſa caduca.
Nil, niſi inane, tibi vultus promittet inanis.
Spondet Achæmenios reges ; Cræſíque tiaram.
Iro palliolum miſero quoque vile negabit.
Nunquam aurum loquitur : nunquam ore pecunia danda
Vlla cadit. verbum ſi paullò opulentius exit ;
Rurſus avaritia tantò pejore reſorbet.

XXVII. Sed

XXVII.

Sed quid ſi faſces *Albumacer* occupet? & ſi
In ſolio ſedeat quædam indulgere rogatus.
Dat, revocat, metuit, muſſat: concedit,& aufert.
Torquet,& intorquet barbam,deciéſque retorquet.
Quod negat, affirmat. mox affirmata negantur.
Pallet, & indubitat. *tanta eſt diſcordia mentis.*
Quid temet crucias, alióſque? quid anxius hæres?
Ajas, ſive *neges*. modò des reſponſa petenti.
Occidis torquente morâ. dic fortiter: *Hoc ſit:*
Hoc non ſit. Ducit ſuſpiria pectore ab imo.
Hęc quoq;,ne obſerves,variùm,atq; inamabilè prorſùs
Ac pluvium ridet: ſicut cùm ſontica nubes
Solvitur in fruges, radijs ſolaribus icta.
Concedit. dubites conceſſerit, ánne negârit.
Ergo alter, tellus ſubter, petit, ima dehiſcat.
Si primùm accedat fuligo pellis, & ater,
Memnoniúſque color: ſuſpecta Memnona talem.
Qui macer,& niger eſt,hunc tu, Germane, caveto.

XXVIII.

Hoc *Maracona* facit. ſed tranſeat. hoc Maracona
Et ſibi nempe facit: ſibi durus,& aſper, & uni
Terribilis primò, rugas, vultúſque decembres
Format,& in mediam declinat lumina brumam.
Nulla æſtas hominis: ſempérque hyemale rigeſcit.
Ipſe ſibi Minos capitalis,& Aeacus, urnam
Commovet, & nunquam non indignatur acerbè.
Funibus in tergum ſævit ferus,atque catenis.
Hic igitur tolerandus erit. ſed quis ferat *Hornum*,
Qui ſolum ſe ferre poteſt, ſolúmque fovere!
Inque ſuis oculis pavonem circinat, atque
Stellantem caudam ſtellis majoribus explet.
Quamvis ipſe macer,pinguem probat ore poëtam:
Pérque gradus omnes illum ſcit ſcandere Verſum:
Omne tulit punctum, qui miſcuit utile dulci.
Hoc ſapit, hoc nutrit. Fraterculus Aſcalonita
Cuncta ſibi; nil unquam alijs indulget. in unum
Corrivantur opes *irritamenta malorum.*

Ven-

Ventrem ſolus habet : tamen odit habere videri.
Pœna quoque eſt præſens. digito monſtrante notatur;
Et malè formatâ ficu, ſannâque ſonante.
Ac medias inter ſegetes, ubi Copia regnat,
Inter delicias, tremulis vix oſſibus hæret.
Et tamen ille idem, ſuperis in vota vocatis,
Sperat per ſanctos montes aſcendere Cœlum.
Ex hac laterna quid ſancti eluceat ! oro.
Quî virtus verum ſplendorem emittere poſſit ?
Vtcumque abſtergat fungos : elychnia tentet
Inflammare foris, placidóſque accidere mores.
Sunt tamen & nares, quæ rhoncho dicere poſſunt;
Et jam ſumma procul tectorum culmina fumant.
Finnus amore ſui macer eſt, & liquitur igni,
Ceræ more fluens. ſuus eſt rivalis ; & à ſe
Dependet totus, ſicut Narciſſus amator.
Vivat, & optatum ſupplex procumbat in Hermum :
Aſpectúque auri lætus manantis, in unda
Se, tamquam in ſpeculo, monſtrum miretur avarum.

XXIX.

Hæc ſatis ad vigilem. quæris, quæ ſomnia vexent
Sopitum. redeunt eadem ſimulacra per umbram,
Votáque ceſſantis tractu revoluta diurno.
Vt venator enim curſu, atque indagine feſſus,
In ſomnis etiam ſilvas, & confraga luſtrat :
Paſtor oves numerat, mercator computat æra :
Arma movet miles, ſuſpendunt carbaſa nautæ ;
Ante torum *Finni* ſtat mœſto luridus ore
Phantaſus, & varia noctu ſub imagine ludit.
Cura, pavor, luctus, ſpes , deſperatio, lucrum
Ingeminant. metuit, ne prædo lubricet arcam :
Ne grando ſegetes, ne viteis verberet Auſter.
Anxius in lecto penſat mendacia ſomni.
Deſunt multa ; quibus deeſt juſtum corpus. amici
Deficiunt : minuuntur opes : annona fefellit,
Aut fallet. muſcis cerebrum patet, atque cicadis.
Vbera diſtendunt non ſufficientia capræ.
Triſte lupus ſtabulis : vaccæque minantur abortum.

Præſagos volvit faſtos, anníque ſequentis
Omina: & infauſtis diſpendia jacta Calendis.
Hinc ſemper trepidans, ne rodere deſit. in horas
Omneis cum gemitu, penuria certa timetur;
Arcta fames: *pœnámque luit formidine pœnæ.*

Blanda quies pinguem ſopit, jucundáque lactant
Somnia: & in tenebris etiam lux alma niteſcit.
Ante oculos armenta boum verſantur opima.
Aurea meſſis adeſt, & inundant frugibus agri.
Fluctuat alta ſeges, largóque ex palmite ridet
Liber, & immanes trudit vindemia botros.
Iam natat in flavo concepti nectaris amne:
Iam medios ſublatus humo volat inter olores.
(Quî pote tam vaſtum Corpus? prægrandibus alis.
Ingenteis autem Morphêus inducere novit.)
Iam conviva jocos miſcet. mox *impiger hausit*
Spumantem pateram, & pleno ſe proluit auro.
Quin etiam (aſſueti tranſeûnt in ſomnia mores)
Pauperibus miſcet calicem, aut miſcere videtur.
Aut tunicâ veſtit nudos, aut ditat egenos.

X X X.

Talis *Froſcardus*, genialis, & integer ævi,
Ac vitæ, (ventris, qualem bos ipſe timeret:)
Immenſus, multóque cutem diſtentus omaſo:
Quid præſens vehat hora, videt: curátque, fovétque:
Atque *Mathematicum* quamvis ſublimè *FVTVRVM*
Et momenta poli ſpernit, Babyloniáque aſtra.
Vivam hodie felix: incerta eſt craſtina vita.
Numinis æterni cunctas ſi provida paſcit
Mens volucres Cœli; ſi fur alatus abundat;
Me quoque paſcet, ait. *pluris ſum paſſere vili.*
Venerit eſuriens ad portam Tuccius: ultrò
Invitat; manibúſque ſtipem largitur apertis:
Atque manus inopes implens demulcet, & auſert
Pudorem, ac nudos à frigore protegit artus.
Corneus Hyrtacides, folijs *Oleaſter* amarus;
Pupilli ac viduæ licèt ima ad limina plorent;

Non

Non magis afflicti voltum ſermone movetur;
Quàm ſi dura ſilex, aut ſtet Marpeſia cautes,

X X X I.

Longè aliter dulcis Taratanzius, & comes ejus
Huppius, & magnam quaſſans Gluckerſius urnam.
Tres ex compoſito pingues. nil mitius illis
Sol vidit, blandum percurrens virginis aſtrum.
Cunctis ſunt grati, ceu primo Manè *Bonus Diès.*
Gaudent, id, quod habent, poſſe in commune referri.
Privatum nil penè ſapit. lætantur amicum
Partiti. gemitus edunt, cùm perditur una
Indonata dies: & creſcit larga voluptas,
Cùm bene dividitur. totóque abdomine rident,
Donato quoties arridet menſa Falerno.
Fidamus, fidamus ei, qui, *vivite*, dixit:
Quò plus largimur; cum fœnore plura redibunt.
Hæ voces: his principijs adipata ſenectus
Exhilarat juvenes; ſapidiſque innititur auſis.

X X X I I.

Malo coquum pinguem, *Smyrnâ, Chióve* profectum;
Haut refert; modò det læto jentacula vultu:
Qualis erat Barſan Baſlach, & Scalga Marocus;
Quàm gracilē Fraſilum, Iumbóſq; recinctum Arimaſpū.
Eheu! quos oculos formant, cum poſcitur offa!
Alter in incertum torquet moroſior hirquos.
Alterius vultum fugiat quoque pamphagus, antè,
Quàm videat fuſtem, aut figenda cacumina furcæ.
Sed Barſan Baſlach ab avo *Dremelio* dictus,
Vnctus, & illotus, lautúſque, & pinguis, *ut ollo,*
Vigintique boves; totam pinguedine veſtem
Oblitus, æquali metro ſe præbuit ipſum,
Offam, animámque ſuam. pinguis fuit ipſe cachinnus.

X X X I I I.

Númne omnes igitur tales? ſi degener unus
Forſitan indignum noſtro ſe carmine præſtet:
Illum ego devoveam canibus, vituliſque marinis.
Deteſtabilius nihil eſt, quàm pinguis avarus.
Contra naturam peccat, laudique reſiſtit.

Illum ego dejiciam medio de ponte frementem.
Illi opto, ut Rabies, Maciéſque, Faméſque, Sitiſque
Armatæ occurrant, vultu ſtridente ceraſtis.
Imprecor, ut byrſâ concluſum culeus arctet;
Inſuráſque feras, terris excluſus, & undis,
Donec ſe emendet, ſuprà patiatur, & infrà.
Vt, quo more bibit, captátque fugacia poma
Tantalus, autumno ſitiens crucietur eodem.
Imprecor & diras ex Hipponacte profectas:
Archilochique minas, ſævúmque minantis Iambum;
Et quidquid vomuit Sulmo naſutus in Ibin.

XXXIV.

Nil mirabilius macro ſimul, atque benigno.
Illum ego Naturæ domitorem ad ſidera tollam:
Quà micat Erigonen inter, ſanctámque bilancem
Aetherius merges, ſpicæ formoſior ignis.
Illius ad tumulum ſpargam violáſque, roſáſque:
Quidquid odoriferum felix Panchaia mittit,
Oſſibus infundam, totóque in Vere reponam.
Vicit enim, vicit, ſéque expugnavit & ipſum:
Vt nemo Ajacem potuit ſuperare, niſi Ajax.

XXXV.

Sed quotus eſt talis, dictos meriturus honores?
Quem macrum vehemens incendit gloria dandi?
Rara avis in terris, nigróque ſimillima cygno.
Talis avis certè non eſt *Bubonius Eila*
Dij me! Dij largi! quàm parcus, ſordidus, ater,
Ad res attentus! non ille philargyrus olim
Plauti talis erat: Plautinæ, nocte, diéque,
Incumbens *aula* locuples, & egenus, an *olla*!
Eila quoque incumbit macer, ut vix unguibus iſtis
Caucaſeis griphes ſervent in montibus aurum.
Tantâ mole tenax, tam non eſt nummulus ater,
Quin mox diripiat: digitos pix inquinat omnis.

XXXVI.

Iſtri Pegaſides: *paullò majora canamus.*
Quidquid dicatur, vitandum cenſeo macrum
Cauponem, excipias forſan de millibus unum.

Sæpius

Sæpius ante fores ſuſpenditur *aureus anſer*,
Aureus eſt anſer : ſed ferro durior Hoſpes.
Decipit hic hamus. Iuvenes ne fidite ſigno.
Pendent Sirenes : blandis ne credite Nymphis.
Pendet Cæruleus delphin : ne fidite piſci.
Pendet equus per colla jubas diſperſus in armos,
Ante domū ſpacioſam,& factam ex marmore portam?
Tantùm non hinnitu invitat præter eunteis.
Hêic novus exclamet Capys,occurrénſq; per urbem
Laocoon : Quid agis certò periture Viator?
Huc ne divertas. *Sic vobis notus Vlyſſes!*
Aut macer hoc aliquis *ligno occultatur* avarus :
Aut hac in loculos *fabricata eſt machina* veſtros :
Aut aliquis latet error ; *equo ne fidite Teucri.*
Accipe *Pantaleon*, quæ ſors illuſerit Haſſo.
Neſcio quos Regni fines tranſibat. ab uno
Invitatus, adit Cauponam ; præda futurus.
Allexit phalerata Domus, ſublime lacunar,
Pergula cum maculis, bifrontis janua Iani.
Hoſpes homo gracilis, luſcus, gilvíque coloris,
Horridæ fœtenti ſpirabat ſabbata vultu.
(Et fœtebat adhuc proavum.) Diſcingitur Haſſus.
Accurrunt famuli : ponuntur genûa. Salute
Donatur decumanâ, & promittente beatas,
Neſcio quas, Cypri ſedes ; cœlúmque canorum.
Ducitur in cedrinis hypocauſtum nobile tignis ;
Vndique conſtratum. ſtatuas complectitur umbo ;
Fulget imaginibus : tralucentéſque feneſtræ
Ex Veneta fornace patent. Atquantia ramos
Diverſi generis cervorum cornua pendent.
Fortunam, Fatum, vitámque Actæonis omnem
Cernere erat pictam : quaſi depinxiſſet Apelles.
(Sed mens læva fuit cernenti : pinxit Apella.)
Spectabatur item diſcerptus Marſya Faunus :
Suppliciúmq; Midæ medio in ſplendore tremendum
Horret ad aſpectum bibiturus fuſilis auri :
Et fremit eſuriens, ac vota nocentia damnat ;
Fulgentémque miſer maſſam de gutture rejicit.

Parte aliâ viſendus erat feritate Lycaon
Notus: ut inſontem mactat de gente moloſſa.
Vtque Iovis natum, coctóque cadavere tentat
Decepiſſe Iovem. ſentit tamen impius iram
Vindicis; inque lupum mutatus ſanguine gaudet
Nunc quoque, & exululans cædem balantibus infert.
Interea, dum ſe picturâ paſcit inani;
Fervet tota domus. ſtridenti cardine crebrò
Ianua laxatur: ſellæque, ac menſa moventur.
Fit ſtrepitus tectis. luxum facit ipſe tumultus.
Pompa frequens: octo de prima pube miniſtri
Otia in inſidijs peragunt, & ad omnia nutant.
Dat manibus cryſtallus aquas: argentea pelvis
Subijcitur. mantile tenet *Strigelius* Hoſpes.
TandēEpulū ingreditur.(fatuū ac miſerabileprorſus.)
Triginta patinæ majorem emblemata partem.
Grande nihil. patinæ cælatæ mille figuris.
Hîc Fridericorum, Rudolphorúmque volantes
Errabant aquilæ: nec non parvi Ganymedes.
Carolus hîc Quintus; *nihil intus, nam rugoſa*
Quid pruna,& ſeptem cancri? quid gobius unus?
Et gallina Hecube, cui jam muliebria,& ova
Deſierant fieri, nulli ceſſura machæræ.
Appoſita eſt crambe repetita,recocta, regeſta;
Et jam putorem ducens ætate minutal.
Pauca tumeſcentis, ſine aromate,tubera terræ:
Ex vitulo crates: aliquid de tergore porci.
Nullus orix,nullus rhombus: putria oſtrea ſeptem.
Non potuit niſi tres (credat Iudæus) alaudas.
In toto reperire foro. Sic lumina pavit,
Non ſtomachos. bibitum eſt primò tolerabile vinum:
At ſenſim levius, generoſum donec acetum
Succeſſit: quale aut Landishutana pruina,
Aut fert Kelhemij pueris labruſca timenda.
Cum quibus Herlæum certabit nectar ad Iſtrum.
Autumno ſi Bruma prior præverterit annum.

Sopitus *Virro* tandem ſe in ſtrata recepit.
Non tamen accepit placidam mox pectore noctem.
Confuſi latices torquebant viſcera. Summo
Manè vigil, petit impenſas deſcribier actas.
Interea leves ocreas inducit, & aſtrum
Adſpicit, extremâ cœli ſtatione recedens:
Ac ſe tam pulcrâ miratur ſede receptum.
Syllabus, ecce, venit longus, bicolórque tabella.
Comprêndens ſummam. Bis dena numiſmata fulva,
Qualia cudit Iber de nobiliore metallo:
Poſcuntur. Tamquam calcatâ pallidus hydrâ,
Obſtupuit, retróque pedem cum voce repreſſit.
Quod genus hoc pretij! quis talem expoſcere ſummam!
Hoſpes mirantem miratur, & acriùs inſtat.
Alter ad hæc; ubi ſum? mecum vin, credo, jocari!
Cui Macer: hem! nullus jocus eſt: injuria nulla.
Res loquitur, *Virro* indignans, & ſplene ſoluto
In triſtem riſum; alterutrum dementia vexat,
Inquit, & erigitur. tantum ergo debeo! tantum.
O ſuperi! dixi, cœna unica; tréſque caballi,
Auriga, & famulus! falſò ſubductus, opinor,
Calculus. haut falſò. ſex ventres pavimus. eja!
Hoc multum! teſtor: ſummæ de parte remiſi.
Eſt modus in rebus. modus hac antiquus in Vrbe eſt;
Solvere, quod debes. ergòne nigerrima nox hæc
Aes tam grande (*facit?*) feciſſet grandius: ultrò
Ni ſubtraxêm aliquid. teſtor: digitiſque duobus
Erectis. teſtere decem digitis, licèt: ex his
Vnus erit certè curvúſque, harpáxque, rapáxque.
Se curvum præbet, quod in uncum creſcere debet.
Neſcio, quid muſſes? Quot inania vaſa dediſti?
Sex minimùm lances implêſti vilibus ovis.
Vilibus! hæc alio redimenda injuria lytro eſt.
Maſſe miſer. Cunctaris adhuc? nil jurgia proſunt.
Ecquid agas? tenet implicitum te milvius ungue.
Sed, jura, dices. etiam ad perjuria coges.
Iurabit per averna Macer loca: per Samothracas
Elyſios, ipſamque Hecaten: & per Furias tres;

Pérque ſuam Maciem,Fúriam,ſua Numina,Quartam.
Hæc Summa, ô *Virro. cuivis ſua in arte perito*
Credendum eſt: callétque ſuam *Strigelius* artem.
Sic nihil evinces. nam computat omnia: cretam
(Huic, licèt, aſcribas *Cretenſia.* Cretica vina:
Cretenſes ſemper mendaces: Cretica falſa
Potâſti; pretioſa tamen.) *Strigelius* Hoſpes
Computat & *cretam*. (quòd *Creta* ſit inſula, neſcit.)
Et cretam duplicem, quâ te ſignavit iniquè.
Vt Marius faber ipſe ſibi cædendus, eumdem,
A quo perfoſſus, gladium confecerat olim:
Sic tibi ſunt proprij cara inſtrumenta doloris,
Argento redimenda tuo. cretam ablue primùm:
Deinde Hecubam galli uxorem, vetulámq;, putrémq;.
Sunt quoque, ſi neſcis, redimenda tapetia, ſellæ,
Pulveris Adriaci phialæ; ſeptémque miniſtri,
In ſegmentato dormîſti *Virro* cubili.
Pendebant artis Phrygiæ velamina circùm.
An non puniceum venienti filia florem
Porrexit, (ſic docta fuit) cùm accumbere velles?
Non dêerant alij, memorans expende, favores.
Guttus erat gemmis, & ſignis aſpera pelvis.
Ipſemet *Harticus* mantilia præbuit hoſpes.
Hæc gratis ſperas? audi. jam tempus agi rem.
Da, quod habes. effunde Tagum. numerare Philippos
Cogeris, & facies Regum monſtrare minutas.
Ventum eſt ad rixam propè, & ad capulum *capularem.*
Eventum exſpectas? *ut iniquæ mentis aſellus*
Auriculas Virro *demiſit*, & obtulit aurum,
Quantum habuit. niſi vellet equos dimittere, & enſem
Geſtatum à proavis: & qui fulgebat Iaſpis
In digito. durum eſt, exuto pollice Matris
Perdere berillum, manibúſque effundere patrem
Gemmatum, & forſan magni oſcula Regis habentem.
Sic abijt liber, levis, ac multo ære levatus.
Hoc ipſo plorans abijt, *ceu Marſya victus*:
Séque illi picto ſimilem reminiſcitur eſſe.
Reſpectánſq; domum; pol, hæc caupona macellum eſt
Mor-

Mortis: aberravi miſer, inquit. Vt hunc lanionem
Diripiant centum lanij Plutone creati.
Ante fores ſuſpenſus equus fuit *albus*. in *atrum*
Deſinat. ex vero potiùs ſtent *ſigna draconis*.
Figatur *facies ichneumonis*, aut *crocodili*.
Quid queror? ex vultu luctus ſagire futuros,
Exitiúmque meum debebam. jam ſcio, quis ſit
Actæon: cujus ſpeculator in icone picta
Defixi obtutum. mihi ſtant venabula magno.
Nec tamen in magnam memini peccâſſe Dianam.
Actæon ego ſum. minus alter paſſus ab Alce,
Et Canache, & Sticte, Lachnéq;, & Hylactore, & Agre,
Spartanis, canibus, noſtro jam ſanguine plenis.
Cerberus iſte meus ſuperat crudelior omnes.

Hem! quò blanditiæ ſpectabant, verbáq; plus quàm
Serica. convivas ſolitâ non forfice tondet,
Sed deglubit oves. plectro ſic carminat aurêum
Vellus, & in floccos pectit lanam, atque repectit:
Conſumptus donec totus vaneſcat Iaſon.
Iam ſcio, quis Mida ſit, votiſque furentibus aurum
Expetat. ô habeas quoque longas illius aures.
Experior rictum, ſævique Lycaonis ungues.
Dij tibi dent villos, in cruráque brachia mutent.
Dixit, & ex imo ſpuit ore, & corde Megæras.

XXXVII.

Ergo non ſatis eſt zonæ turgere crumenam;
Turgeat & facies: ſit frontis, & oris honeſti;
Promittátque virum roſeo fulgore benignum.
Qualis erat toto contrarius axe *Maronus*,
Alpibus in medijs ſitus, atque Tyroleos ortus.
Gutmanni nomen mores, populúſque dederunt
Illius Hoſpitio. Nato quoque nomen adhæſit.
Non erat ampla domus, multiſque ornata chimæris;
Munda tamen, nec non accommoda. ponè tabernam
Vinea ſerpebat clivo. Diverterat illuc
Tarpejas linquens *Valeroda Pererius* arceis.
Vt ſtetit ante fores, & ſignum penſilis Vvæ:
Egreditur cano venerandus vertice, toto

Muſteus ore ſenex. viridis fuit iſta ſenectus,
Non ſine aqualiculo. ſed vox ſuaviſſima fanti:
Atque oculi tales, quibus elucebat amœni
Fax animi, ſapidúſque lepor, concinnáque mentis
Temperies. ſed enim confeſtim accurrit & uxor,
(Clamârat conjux) cophino, raſtriſque relictis,
Agreſti ſudore rubens: præpinguis & ipſa.
Ore verecundo, poſtquam ſalvere modeſtè
Iuſſerat admirans, dentéſque oſtenderat albos,
(Subridebat enim:) petijt ſuccincta culinam.
Sicque datis manibus deducitur Advena ſurſum,
In conclave novum, nullo præeunte tumultu:
Menſáque detegitur. tantùm illi ſella parata eſt;
Quod reverens ſuadebat honor: ſcamnúmq; *Maronus*
Occupat, acclinis menſæ. Vix fallere tempus
Cœperunt primis ſermonibus: amphora duplex,
De meliore notâ, rubríque, albíque Lyæi
Affertur. liquor infuſus fremit, atque reſultat:
Adventûs dare ſigna ſui certiſſima Bacchus.

XXXVIII.

Dum bibitur tractim, ſcitatur amœnior Hoſpes:
Fare, age: quæ rerum ſeges eſt diſperſa novarum?
Optime: namque Italis revenire videris ab oris.
Sic, ait, & narrat, quæ viderit. *Obſecro*, narra.
Paſcentem verbis paullò poſt ſumine paſcam.
Audio *Chriſtinam*, Suecorum ſanguine Regum
Progenitam, Tybrim petijſſe, Vrbémque Quirini.
Sic eſt. vidiſti? *vocémque his auribus hauſi.*
Tot linguis loquitur, quot fermè Europa perorat.
Obſecro! Tam Latia eſt, quàm vel Cornelia Gracchi.
Implet fecundam non una ſcientia mentem.
Obſecro! Quî potuit Diadema relinquere Patris
Guſtavi? Ex alto ſe lux infudit amanti
Quæſitam lucem. votis Deus annuit æquis.
Audivi vinclis non velle jugalibus uti.
Sic eſt. virgo manet; vultúque, animóque ſevero
Spernit adulanteis thalamos. eſt altera Daphne.
Obſecro! Laureti caſtam venerata Parentem

Numi-

Numinis, in donum ſupplex, proprióque Coronam
Direptam capiti, Sceptrúmque inſigne reliquit.
Obſecro! cur igitur non hæc dicatur Amazon?
Sic eſt. ex patria quoque venit, Amazones unde
Olim progreſſæ lunatis fulgida peltis
Agmina duxerunt. quas inter Pentheſilea
Suſtulit æratam quatiens excelſa bipennim:
Addi digna decem famoſis Virgo Sibyllis,
Balthica Cumanæ; reliquáſque accêſſe meretur.
Vindictam mirare DEI. Pater ibat Adolphus
Igni, & aquâ, ſi Fata darent, ſubvertere Romam.
Fata negaverunt; Romanáque Filia facta,
Plectit juſta ſuum tamquam Rhamnuſia Patrem.
Romæ accepta fuit? Vanos non fingo paratus,
Nec verbis majora cano. res ipſa locuta eſt.
Obſecro! De caſtro Genij cœleſtis, ab arce
Ignea per rutilas micuere ceraunia nubes
Miſſilibus telis. tonuit cœlum omne tumultu.
Obſecro! Quis fecit ſumptus? Pater Vrbis, & Orbis.
Mira quoque audimus. Tam mira, & magna referre
Fama nequit: poſſint ut non majora referri.
Obſecro! Laudatur Pietas, Prudentia. Talem
Noſtra requirebant Civilibus aſpera bellis
Secula Pontificem: qui ſtringere poſſet habenas,
Et laxare manu ſciret. quod *Fortiter*, atque
Suaviter impoſitus facit. *Obſecro*! Claudere Ianum,
Pars eſt votorum. curas huc dirigit omneis.
Laudetur ſine fine DEVS. DEUS iſta, Marone,
Exſpectata diu fecit noſtro otia Mundo:
Promiſſúmque Virum ſignis monſtravit apertis.
Obſecro! monſtravit? lævùm intonuiſſe putamus.
Quis neget electum divinitus? albus, & omnis
Calculus invitum ſignavit: *nílque petendo,*
Nílque recuſando, per tot ſuffragia Patrum,
Conſenſu titulos omneis collegit in unum,
Maximus: ut diſcas *FABIOS* reſtare ſequenteis.
Chiſiades ortus Senis, *Inſignibus* antè
Sex tulerat montes, patrio cum ſidere: ſed nunc

Suſtentat totum *Septem cum montibus* Orbem,
Factus Atlas: Cœlúmque ipſum cum Clavibus aurêis.
Grata mihi memoras. fert una hæc ſidera cervix!
Semper Alexandris unus non ſufficit Orbis.
Majorem inquirit Noſter,quæ ſancta cupido eſt.
Septimus hoc *Magnum* major diſcrimine vincit.
Ajunt, Senenſes puro magis æthere veſci:
Queis dederit ſolers plus ignis habere Prometheûs.
Iam puer æquabat juvenes: Iuvenique diſerto
Facundi ceſſere viri, ceſſere magiſtri.
Vir ſtetit ante Senes. canos prævertit adulti
Canicies animi. velox Sapientia viſa eſt
Anticipâſſe dies, & prælibâſſe Platonas.
Vnus purpureum ſacro facit ore Senatum,
Eloquij rorem,mentíſque altiſſima ſenſa
Vox ſimul emiſit, manifeſta oracula fiunt.
Obſecro! Tergeminæ majeſtas ſancta Coronæ
Celatur, tantúmque jubar, virtute gerentis.
Summus ſubmiſſe de ſe ſentire triumphat.
Sub pedibúſque ſuos, quos Rex, & Cæſar adorant,
Proſtratos habet ipſe pedes. Terræ memor,olli
Oſcula dat mitratus apex, vicinus Olympo.
Ipſe ſibi accendit ſtupam, ridétque vaporem;
Ipſe ſibi occentat; *Sic tranſit gloria mundi.*
Obſecro! quid narras? Ex plumbo fuſilis arca
Funebris ad lectum recubat; fratrémque Soporis
Objicit, in pheretri ſpacio poſt Fata locandum.
Obſecro! Sic pauci ſummâ virtute fruuntur.
Calva quoque ex plumbo,loculo requieſcit eodem.
Hoc ſpeculum vultu non connivente tuetur.
Ad Calvæ ſpeculum mores componit, & ora.
Mors eſt in votis: Vita eſt meditatio mortis.

XXXIX.

Talibus alloquijs dum prævia pocula miſcent:
Nulla mora eſt, cœnam præcinctus filius infert.
Hic quoque turgidulus,roſeáque ætate renidens.
Servulus inſequitur: tum nata, ancilláque, & ipſi
Pleni

Pleni hominum, quales gaudentia lumina paſcunt.
Accubuere. manus facilis perfluxerat unda.
Prima, oculis ſtellata, gulam bene proluit offa.
Innabat gallus, ſed vix egreſſus ephebos:
Tam tener,& cultro fuerat tractabilis. Anſer,
Atque affinis anas, cum dulci embammate,& octo
Confertim turdi, patina ponuntur in una:
Inque alia ſcolopax ſocios tres junctus habebat.
Tum petaſo: circum Lucanica torrida fumo.
Mox perdix oleri, juveniſque incocta palumbes.
Montanæ capreæ clunes: de pectore Cervi.
Adfuit & glacies pipata, adſtrictáque ſquilla.
Fercula pauca quidem, ſed non umbratica: ſed quæ
Ad Germanorum, linguâ noſtrate, ſaginam
Significant aliquid, nil ſignificantia ſperno.
Lactucam potuit criſpam ipſa rigâſſe videri
Pallas: abundanti ſic flavens rore fluebat.
Adjectæque inulæ, radices, intiba, corna.
Ex herbis ſpirabat amor, fragránſque voluntas.
Aſparagos molleis non appoſuere: negabant
Tempora. defectum ſupplebant punica mala,
Et citrei fructus, mitéſque à vitibus uvæ:
Selectæque nuces Tuſcæ. *ſuper omnia vultus*
Acceſſere boni. ſuper hos quoque mitis Iacchus.
Quippe vitris etiam ſapuit communibus hauſtus.
Nulla Thetis violârat eum. caſtiſſimus Humor,
Qualiter ex gremio genitrix Vindemia fudit,
Intemeratus erat: ſtomachi vitalis amicus,
Ac Cerebri. nullæ cingebant tempora nubes.
Non tempeſtates exciverat, atque procellas.

XL.

Iámque ſupinato currum temone Bootes
Flexerat. in dulcem ſolvuntur membra quietem.
Ergo torus petitur. Dant verba precantia ſomnum.
Evigilat. Sed jam ſiccata excuſſerat omneis
Exuvias Nati, pennáſque Aurora madenteis.
Inſtaurare, paratus iter vult Symbola duci,
Heſternæque gulæ pretium. Videt, ecce, repoſtæ

In Cumulum ſtruxiſſe novo jentacula luxu.
Abnuit. alliciunt; cogit bonitatis imago.
Mundicies, ſtructura, dapes miſcentur in unum.
Et ſtupet, & gaudet. Sed mox contendit abire;
Prudenter trepidans, aurem vellente crumenâ.
Sol quoque jam multum ſpacij confecerat ortus.
Heic facilem cretam pinguis mirare Maroni.
Tota ſtetit medio cœnantis maſſa Philippo,
Ientantiſque ſimul. (cerdones diſcite macri.)
Delevitque notas non integer aureus omneis.
Alter ad hæc: Venerande Senex, non debeo plura!
Pauca nimis petitis. nequidquam. Sufficit hoc, quod
Poſcimus, hinc aliquam liceat quoque demere partem.
Non patiar. Mater, tu digna es *Sara* vocari,
Túque *Abrahamus* eris pater. ô par nobile! qui vos
Iunxerunt Divi? qui vos genuêre parentes?
Vivite concordes: hæc Baucis, & iſte Philæmon.

XLI.

Dona dehinc partitus erat, quæ plurima Româ
Attulit. electro Naſarenæ Virginis ora
In gremio dulcem Puerum deducta ferentis
Attribuit Matri. Sacrum luſtrale Numiſma,
Cum theca ex ebeno, lamellâque ex orichalco,
(Arte infuſa fuit Chriſti patientis imago)
Iuſſit habere Patrem. tres ceras virginis Agni
Filiolæ, fratríque dedit. propè ſedula nutrix
Stabat anus, micámque rogans; huic præbuit Annam,
Ipſâ majorem Natam genitrice foventem.
Pro donativo famulorum fortè culinam
Præteriens, fruſtum argenti conjecit in ollam.
Principio renuunt donis onerare pudorem.
Sed tamen admittunt: fortunatóque precantur
Cœleſtes Genios comites. in ephippia tandem
Erigitur: dictóque *Vale*, calcaria ſubdit.

XLII.

Dic mihi, *Pantaleon*. uter eſt acceptior hoſpes?
Scilicet eligeres iſtum. Natura benignis
Pinguibus eſſe dedit. Macies truculenta ferocit.

Nec

Nec melior, quæ ſe ſtudijs exercet alendam.
Cauſſidicum quæris? ſed quem? confidere Pingui
Tutiùs eſſe reor. quoniam macilentus, & Argus,
Vno vix oculo diſtant. declinat uterque
In Moſen, & diſtortis adjunctus Apellis,
Fœnore flaveſcit, turpiſque cupidine lucri.
Cauſſidicus macer in miſeros piráta Clientes
Sæpe fit. ille ferox velis intentus, equiſque,
Quà ſpes affulget, divéſque Favonius afflat;
Remigibus ſuppar, convertet ſuppara navis.
Omnia Cauſſidici macilenti nomina ſumunt;
Dum ſit odor lucri. *tendent, venantur, arántque;*
Demittunt hamcs, & ſtringunt cominus enſes.
Schinderum laudas? quòd ſit quaſi Bartholus alter.
Debueras ſaltem terreri ad nominis omen.
I tamen, i velox; ſi ſic in vulnera pruris.
Nummatam amittes pellem, prædico; brevíque
Senſeris ingentem cultrum in præcordia fixum.
Laudas Carniphlum? quianam? minùs ille clienti,
Quàm prædæ invigilat; geminúmque haſtile minatur
(*Bina manu lato criſpans haſtilia ferro*)
Quâ pennâ ſcribit, ſæva in venabula verſâ,
Agricolas figit, reſonánſque eviſcerat inguen.
Si loculus tinnit; jam dudum arrexerat aureis.
Quàm bibulã chartam, atq; Tagi ſitientẽ, habet *Olmus*!
Non ſatiatur enim. bibet omnem ex pectore ſuccum.
Extendet dubias lites in ſecula: & ultrà.
Vivitur ex rapto, ſine lege, potiſſima lex eſt.
Hanc tibi ſæpe *Olmus*, fratérque *Taranda* citabunt.
Mutnegra cum *Murva* faciunt rectiſſima curva:
Regula communis: quâ Praxis nititur omnis;
Atque illi, ut polypus, ſcopulis exſtantibus hærent.
Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirudo,
Malphus adhærebit: donec radicitus omnes
Excutiat venas auri. non ſanguinis una
Gutta relinquetur. miſereri, & parcere neſcit.
Quidquid habent bulgæ Lucili: *cujus & iſta
Vox eſt*, à caſcis tralata fideliter oſcis.

Si vel ſtilla tuo ſuper hæſerit aurea naſo;
Emunget; ſtrophio ſaltem ſic parcere poſſis.

XLIII.

Fingimus hæc forſan, Satyrámq; inflamus inanem!
O utinam! exemplum referam memorabile diri
Pragmatici. Spiræ non ignotiſſimus olim
Zachæus Scheolachus erat: doctiſſimus idem
Legúmque,& Titulorum; æquique,& *Iuris iniqui*:
Sed macer, & furijs Calvini deditus unis:
Venali eloquio ſolitus diteſcere. Birro
Venerat: & poſtquam flexo pede dona dediſſet;
Vt maturaret, ſubmiſſâ voce,rogavit.
Addidit unguentum ſtillans potiore monetâ.
Illo adeò tria,vel ſex viva cadavera poſſent
Immenſum redolere nefas imbuta. quis ungat
Pinguem? jam ſatis eſt adipatus venter Amati
Iudicis. impellet flavente ſine anguine currum.
Macri multa petunt, & debent ſemper inungi.
Ne findat faciem calor,& ne ſtrideat axis.
Zachæus ſimul ac notum perſenſit odorem,
Vultur odoratu, lynx viſu, ſimia guſtu,
Et *ſus auditu*, cùm bractea tinnijt auri:
Sed, cùm porrigitur, ſubtilis *aranea tactu*.
Hunc ergo ſimul ac gratum perſenſit odorem;
More canis, roſtrum nota in veſtigia mergens,
Suſpirat; jam plura cupit: jam mollibus urget
Imperijs. laudat, ſperátquè, oditque negantem.
(Malis ſemibovi cenſum numerare Perillo.) (hoc:
Birro:*damus,dedimus,dabimus* quoque.ſed queror unum
Annum jam medium caſſo effluxiſſe labore:
Sumptibus haut modicis; jacturâ temporis; eja:
Incipe. Conſtituas primùm vadimonia. Iudex
Audiat: & Litem decidat. Nil dabis ergo?
Deſperatus abi. Fletum lamenta ſequuntur,
Curvatæque preces. Vitulum promitto recentem.
Tres cupio. modò me totum abſorbere recuſes,
Sex ducam. adjiciam totidem cum matribus agnos.
Adjiciam currum, bijugéſque ante ora frementeis.

(Hæc

(Hæc axungia ſufficiat pro mille rotarum
Fulmineo curru Iovis, & Salmonea vectet.)
Hactenus: & promiſſa probat. vix menſe peracto,
Attulit incrementa: nitens pro conjuge peplum,
Auróque, argentóque, & floribus intertextum.
Mygdoniâ radiabat acu. Natúque minori,
(Major apud Belgas & caſtra, & ſcorta ſecutus,
Fortunâ ancipiti famam vaſtabat, & urbes)
Donavit phialam: Scheolacho tradit habere
Cratera ingentem (*quem dat Sidonia Dido.*)
Quo, precor, eventu? ſic vicit, victus ut eſſet,
Fregit in hac cauſſa figulus miſer omnia vaſa,
Ad reſtim, ſolo laqueo reſtante, redactus,
Conturbavit opes; diſtraxítque haſta forenſis.

XLIV.

Vis jam tu Macrum, Birro, præponere Pingui?
Illum, ut nactus, habe. figens ſibi baſia noſter
Baſiolus; non à ſtudijs, & Codice Iuris
Noctibus aſſiduis verſato pallet. ab auro
Hic color eſt: cujus nimiùm ſitis urit habendi;
Sacra fames verò, velut *iracunda Diana*
Depaſtum penitùs, ſeu *morbus regius urget.*
Qui non corpus habet, nec CORPUS IURIS habebit,
Pro pingui prædem ſiſtit ſe Vultus. eâdem
Menſurâ CORPUS IURIS, Ventriſque ſaginat.

XLV.

Iſtri Pegaſides: *paullò majora canamus.*
Macris *ingenium*, macris *dedit ore rotundo*
Muſa loqui. Sanè. ſed pernicioſius horum
Ingenijs nihil eſſe, docent tot ſecula; quorum
Eventus Tragicos, exempláque triſtia monſtrant.
Profuerat multis toto caruiſſe cerebro.
Aut quale eſt vitulis, Braſilo vænifſe macello.
Profuerat craſſo Bæotos aëre naſci;
Quàm dare tot populos in cædes, ínque ruinam.
Macris perfidiam, macris dedit ore doloſo
Tiſiphone funeſta loqui: multiſque nocere.
Publica ſuffultis malè conſilijs agitur res:

Cùm momenta dolus, rationem ſubruit aſtus.
Nulla ſalus Bello, Pacem te poſcimus omnes:
Exclamare Macer, reliquis obſtantibus, auſit;
Súbque toga celare ſagum. contrariùs alter:
Nulla ſalus Paci: Bellum te poſcimus omnes;
Et ſub lorica nil præter ſtupra, rapinas,
Pharſalicas acies, & ſpem geſtare coronæ
Legitimo Capiti per ſaltum decutiendæ.

XLVI.

O virtus ſcelerata legi! Qui ſuadeat arma
Turcarum, in Venetas potiùs vertenda triremes;
Quàm Perſas; Macilentus erit. Qui jurgia dictet,
Scribat ſanguineos apices, nullique legendos
Quàm nocti; Macilentus erit. Qui fœdera ſaxo
Sanciet, & porcâ: minimóque hæc fœdera rumpet
Pro pretio; Macilentus erit. Qui frangere primus
Ferratas Iani portas, & clauſtra Bohemi
Suſtinuit; Macilentus erat. Qui finibus Hunnos,
Vandalicáſque ſuis turmas in Teutidos oras
Elicuit; Macilentus erat. Qui limite rupto
Devius, impegit ſpumantem Balthida ripis
Danubij; Macilentus erat. Qui fraude retortâ
Luſit, & ambages Caſtrenſis in Aede Senatûs
Diſpoſuit; Macilentus erat. Qui dixit; ab alto
Diripiam nidum hunc, vinclis licèt ardus æther
Attineat; Macilentus erat. Qui condidit enſes,
Et vetuit pugnas, creſcentem ut viribus hoſtem
Augeret; Macilentus erat. Qui plurimus auro
Venales animas Domino ſubduxit, & emit,
Vt furerent; Macilentus erat. Quem dira rotavit
Ambitio in cædes, multorum ſanguine paſta
Innocuo; Macilentus erat. Qui ſæpe triumphos,
Triſtibus imperijs, quamvis ante ora frementeis
Avertit; Macilentus erat. Si plura requiras;
Ante diem clauſo componet veſper olympo.
Ite truces Animæ: ſociate cubilia talpis;
Et ſomnos terebrate, atque impalleſcite curis:

Vt Macies trepidet magno celebranda theatro;
Et fiat *pueris* nova *Declamatio* noſtris.

XLVII.

Quod dico, dixi, dicam: plerique tyranni
Colla levaverunt, Lernáque nocentius ipſâ
Ex Macie traxere caput. trux *Attila, Tereûs,*
Et quos Odryſiæ cinxerunt cornua Lunæ;
Achmet, Amurathes, Selimus, Solymannus: & inter
Arſacidas plures, ſine nomine. Nil niſi dirum
Vos reperire juvat. Veſtra eſt Buſiridis ara:
Veſter Bos Siculus, reboánſque immanè metallum:
Veſtri ſunt Diomedis equi: jumentáque tædis
Præcincta; atque ſuum per ſaxa, per arva, per undas
Seſſorem, pérque & ſentes raptura, rubóſque.
Veſtra eſt in Tybrim proturbans ſcala: Scaphiſmus
Perſicus: & veteres ſuperans Geta Geiſius annos.
Sub pelvi ignita mures, Chelæque ſecantes
Vbera; dum fugiunt animalia clauſa calorem,
Veſtra ad vaſtandos tormenta curulia muros,
Ferrêæ Belgarum præacutâ cuſpide Sellæ:
Complexúque necans, quos ſtringit, ahenea Virgo:
Concava nodoſi religantes tempora funes:
Palpebra ſecta, caput vigilans, ne ſomnus obumbret;
Suecica diſtentum contorquens potio ventrem;
Hæc ſunt ingenij monumenta noviſſima veſtri.

XLVIII.

Tutius inventum nobis debetur Aſyli.
Vtilis inventum nobis debetur aratri.
Nobis inventum pinguis debetur olivæ:
Vvarúmque recèns preſſarum maſſicus humor.
Inventum medicina meum eſt; tibi Theſſala virgo,
Noſtrûm aliquis dixit: citharam qui tendit, & arcum.
Inſuper (i, Batavóſque breves, longóſque Batávos
Conſule: ſive breves, ſeu longos; conſule craſſos:)
Emenſi terras, radijs deſcripſimus axes:
Contulimus tabulas, dedimus ſua nomina ventis.
Mercibus externis medium patefecimus æquor:
Magnetiſque novum nautis monſtravimus uſum.

Char-

Charta tenax atræ loliginis, alba papyrus,
Fuſilis arte Typus, celebris retinacula famæ,
Ad Pingues ſpectant. nam nos invenimus iſta.
Et ſeſe nobis Agathyrſus comparet ! & ſe
Efferat ante alios ! Solem ſua provocet umbra !

XLIX.

Huc refer irarum fluctus, quibus æſtuat amens,
Atque ultrix ſemper Macies. Injuria rara,
Vilis, iners, redolens cunas, furit ire ſepulcrum;
Et quodvis verbum *manet altâ mente repôſtum.*
Præmorſi incidunt ceris meretricibus ungues.
Hippomanes, & acus, & ſica, & pugio, & aſpis,
Non ſine letifera dape ſeponuntur in uſum
Vindictæ. Pingues *odia immortalia* pauci
Tanta fovent. Soli graciles ignoſcere nôrunt
Tardiùs. hic morbus quaſi deſperatus inhæret
Oſſibus; & crebrò poſt mortem durat in illis,
Exoriare aliquis noſtris ex oſſibus ultor:
Irâ, & amore furens, totâ Carthagine, Dido
Clamat, & infernas ciet ad ſua ſigna ſorores.
Tum primùm macilenta rogum conſcendit, & unum
Nuda pedem, miſit lacrymas; hoſtique precata eſt
Littora littoribus contraria, fluctibus undas.
Quis furor eſt, etiam ſævire; ubi cauſſa furendi
Ceſſat; & in rabiem leti caligine verſâ,
Enſis Dardanius mox in pulmone tepeſcet.

L.

Aonias ſed enim Macri ſibi jure Camœnas
Depoſcunt; Cyrrhæque ſedent in vertice dextro.
Macri ! ſed quibus eſt tantæ fiducia laudis!
Macri ! ſola ergo producit Mantua vates!
Macri ! vena micat tantùm illis, queis caro deſit!
Scilicet Aonidum pater eſt macilentus Apollo!
Cùm Divos inter non ſit formoſior ullus.
Menſuram ad Lauri nunquam ulla cucurbita ſerpſit!
Et teretes ſolùm truncos hederæ circumdant!
Vt nihil infirmem: contra ſtat *Horatius* omneis
Pindaricos, quamvis craſſâ cervice, Poëtas:

Multo-

Multorúmque vicem dignè ſuppleverit unus.
Velox ingenium ſolitâ luſtrante lagena.
Provocat: atque ipſi non ceſſerit arte Maroni.
Detinuit noſtras numeroſus Horatius aures:
Scripſerat ex verè juratis teſtibus unus:
Quem qui contemnit, contemni dignior ipſe eſt.
Flaccus Theſpiadum decus eſt, & gloria Phœbi;
Cujus, (ſiqua fides) plectro criſpavit eburno
Sæpe comas. tam magna fuit reverentia Flacci.
Flacco nupſerunt Erato, dulciſque Thaleja.
Ad Calabros *Flaccum* comitati mille Lepores
Ex Latio: faciléſque Ioci, puréque loquendi
Gratia, & obliquos figens Argutia nictus:
Cœleſtémque Lyram pulſans Venuſina Venuſtas:
Et ſumptum ex medijs mellitum pondus Athenis.
Blanduſia Fontem quoties bibiturus adivit:
Stipârunt affine latus gens mollis amorum.
Vatis in obſequium puer antè Cupido volavit.
Hauſit aquas: tenuit concham; fidibúſque canoris
Luſuro, dedit auratum pro pectine telum
Ex pharetra. hinc illud *Petroni nobile dictum*.
Summa *biformis Olor* libratum corpus in Aſtra
Suſtulit. & cantu ſtridentia fulmina rupit.
Quò nec Virgilius, nec cœcus venit Homerus.
Dic jam, dic Sodes: cuo jure biceps Helicon, quo
A ſolis Macris, ſolis habitatur ab Vmbris?

L I.

Non ſunt iſta ſatis. plus dico: Scientia nulla eſt,
In qua non pingues aliqui dominentur, & ornent
Sublimeis Cathedras, Sophiæque addicta Lycæa.
Quem dabis æqualem Thomæ, qui dictus Aquinas
Ore *bovis muti* per totum mugijt orbem.
Ille nitens vultu, de carnis flore ſereno
Lacteus, Angelicæ diſtendit munera formæ.

L I I.

Multa *Agathyrſus* habet nullo tibicine fulta.
An Cicero fuerit gracilis, neſcire fatemur.
Firmorum laterum, conſtans fert fama, fuiſſe.
Indiciò quoq; ſit clamata *Philippica* teſtis, *Vol-*

Volvitur à prima quæ proxima. Debilis illam,
Et macer hoc plauſu, tantóque abſolvere gyro
Nequidquam potis ullus erat. ſpreviſſet inanem
Rhetora ſtipatus denſis Antonius armis.
Vox igitur, viréſque aderant, faucéſque ſonoræ
Quid? quòd & in roſtris cervix quæ cæſa pependit,
Craſſa fuit. Se Popilius latrone coactus
Toto uti, collo caput à rorante revulſit:
Orbavitque ſuo Patriam Patre, Conſule Romam.

LIII.

Iſtri Pegaſides: tandem in fera bella ruamus;
Hactenus oppoſitis Carnem defendimus armis.
At *CARO* Luxuriæ vacat, irritamen amoris
Inſani: ſcelerum nutrix, inſtructa doloſis
Illecebris: animas piſcantis pellicis hamus.
Quantula res, Vmbram Veneri non poſſe litare!
Si tuus hoſtis abeſt, quale ô Victoria ſertum
Offeret! in placidum facile eſt dare lintea pontum;
Sed ſpirante Noto, quando *furit æſtus arenis,*
Terram inter fluctus aperit: rotat æquora vortex;
Aſtráque tacturi montes volvuntur aquarum:
In latus obliquum remis avertere proram,
Perlabique ſalum, portúmque intrare Sicanum;
Hic labor, hoc opus eſt. Caſtum laudaveris illum
Rectiùs: in medio qui non amburitur igni;
Séque domat, Carnémque ſuam, ſtimulóſque retundit.

LIV.

Quamquam ſi fas eſt â fonte arceſſere cauſſam;
Quid Caro culpatur? tamen *oſſibus implicat ignem,*
Oſſibus hæret Amor. *fomes,* puto, cauſſa malorum eſt.
Invenies fibris, ſi quæris, in omnibus illum.
Tutus ab hoc nemo eſt: *pomúmque* voravimus omnes.
Pinguis, ſive macer, fato damnantur eodem,
Conditione pares. æquum eſt certamen utrique
Pugnandum: neutri licet hoc ceſſare ſub hoſte.
Tros, Rutulúſve fuat, nullo diſcrimine agetur.
Troſſulus ex *rutilo* ne fias, ipſe caveto.
Aulâ non melior caula eſt: nec eremus ab urbe
Diſtat.

Diſtat. ubique faces: & non ſine cote ſagittæ.
Vexat nativi jecur inteſtina mali vis.

L V.

Audio cum lacrymis gemitus in montibus altis.
Speluncæ reſonant, ubi ſunt Aegyptia teſqua.
Infelix ego homo, quis me de corpore mortis
Hujus, & innato Babylonis *liberet* æſtu?
Ille Palæſtinis incluſus Dalmata ſilvis,
Inter echidnarum fœtus, viridéſque lacertas,
Circum-membra-datus vili deformia ſacco:
Iejunans, exſanguis, inops, calloſaque duris
Terga ſecans flagris; allidens pectora ſaxo;
Sæpe videbatur ſibi, dum ſæviret Erynnis
Cypria, ſaltanteis Romæ ſpectare puellas.
Indue loricam, cataphractus ſubjice ſetas:
Sterne ſolo Corpus; ſtratum concide flagellis:
Extenua, ſic ut ſpectari & viſcera poſſint:
Si tamen incipiat mens emollita rigorem
Ponere, nec pugnet, vitióque ignava reſiſtat;
Matris Acidaliæ cadet hoſtia turpis ad aram.
Virtutes Animo, non exterioribus inſunt,
Præcipuæ membris. Animo caſtiſſimus eſto:
Et nihil abdomen craſſum, nil perna nocebit
Nupta Moſellano, quamvis pinguiſſima Baccho.
Mens innixa Deo, corpus, licèt, obſtet obeſum;
Per Paphias acies, formoſaque monſtra Erycinæ,
Thaidas, atque Helenas, Cleopatras, atque Corinnas,
Aligerique faces pueri tutiſſima tranſit.
Suaviter hic equitat, Cœli quem Gratia portat.
Non certum eſt illi plureis inſidere macros.
Noſter apud nudos degens *Xaverius* Indos,
Tam ſucci plenum, quàm caſtum Corpus habebat.
Lucida vibravit generoſo ſanguine vena:
Et Navarræum candenti prodidit ore.

L VI.

Quondam etiam Vati proferre arcana licebit.
Tutior à ſtimulis quandoque eſt pinguior antè
Non pinguem. Calet hic defectu humoris, & aret:

Quóque magis Macer eſt, tantò vehementiùs ignem,
Concipit, útque vetus multo lita ſulphure tæda,
Primò transfumat; dêin tota incendia ſpargit.
Sicca ſilex: attrita tamen ſcintillat, & ardet.
Non ego te jubeam calidas incendere vino
Indomito venas; oleúmque affundere flammæ.
Sed neque te, quoties ſitis inclementiôr urit;
Vel cùm turbatam pulſant phantaſmata mentem;
Sibilat Eva parens, ſtygiúſque aſſibilat anguis.
Indulgere vetem latici, modicóque Lyæo.
Crede mihi non ſola ferunt jejunia palmam.
Sæpe voluptates inhoneſtas vicit honeſta,
Et clavum clavo pepulit permiſſa voluptas.
Scribe, Lege, aut *canta*; clamat non nemo peritus
Sacris ex adytis. Hæc *Delectatio Victrix*
Dicitur: Aſcetis quoque non incognita priſcis.
Qua ſine, ni Virtus mentem domet, atque refrenet;
Irruet in fœdos exſuccus torris amores:
Theſtiadis ſtipes, buſtum fatale, futurus.
Plura tibi dicet Vates, qui laudem Atalantæ,
Et venatoris fatum cecinit Meleagri.
Si rectè memini: quam ſponſus, ſponſáque tædam
Geſtabant olim, ſemper fuit arida pinus.
Arida ſuſcipiunt Paphiam ramenta favillam.

L V I I.

Cyprigenæ germen ſicciſſima littora, ſiccos
Myrtus amat colles. illam decerpite Macri:
Veſter enim flos eſt. Veneri debetur origo.
Siccius inferno nihil eſt Iove: propterea arſit
Invitam Cereris natam. *Proſerpina rapta eſt.*
Et quaſi non plures myrtum carpſiſſe legantur
Confecti macie! ſexus teſtatur uterque.
Phœniſſa in primis Phrygio decepta marito:
Sanguineam volvens aciem, maculíſque trementes
Interfuſa genas, & pallida morte futura.
Phædráque, & Evadne, Procríſque, & Laodameja:
Et Cauci Biblis, Cyniræque miſerrima proles:
Hypſypiléque gemens, & plorans Thracia Phyllis;

Lean-

Leandérque natans; Iphiſque in limine pendens,
Quos quia durus *amor crudeli tabe peredit*
Incluſos *campo lugenti*, teſte Marone,
Myrtea adhuc circùm tegit hoc quoque tempore ſilva.
Ad ſummam: luſtra, totúmque inquire per orbem.
Vt nix candidior Borealibus incidit oris;
Pérque annum ferme totum diuturnior hæret;
Sic nivibus caſtis impurum mitigat æſtum,
Et Veneris tædas Riphæis montibus arcet.
Fert plaga virgineum conſtantiùs alba colorem:
Afer, Arabs, nigro vultúque, & pectore flagrans,
Torret Amor fibras. ubi regnat torrida Zona;
Raris zona manet ſua non reſoluta puellis
Ante torum. præcox omneis ferus incitat ardor.
Caſtior Europæ eſt medium tranſvecta per æquor;
Illis nempe locis: ubi frigore pinguia degunt
Corpora: & explorans Rhenus, ſi vera Vetuſtas,
Maternos patrio luſtravit gurgite partus.

L V I I I.

Atqui Lutherum genuit Germania pinguem!
Calvinum, regero, produxit Gallia macrum!
Dic: uter eſt pejor? certent pro crimine monſtra:
Sitque hæc ambitio nova, nullis cognita ſeclis;
Invidiam Furiarum imo paſſura ſub Orco.

L I X.

De Ventre Iſlebico ſic ſentio. *Totus erat Sus*,
Inque volutabris à calce lutoſus ad aures
Factus, ab infami Sybarita libidine patris.
Non potuit peccare minùs, cui tot ſalis atri
Infudit modios Acheronticus hiſtrio: tótque
Inſumpſit noctes habitans ſimul. Hunc ego Fatis,
Imputo, vel brutis: ſed brutis veriùs inquam.
Errantem Veneris ſtellam Lutherus in ore
Fixam, animóque gerens, morbi tormenta ſui clàm
Non habuit. manibus, pedibus, factíſque, libríſque,
Vultu ipſo confeſſus erat. Quid jam petis ultrà?
Hoc ſaltem ingenuus: quòd nil abſconderet unguis
Porcini, roſtríque nihil Calydonius heros.

Ille

Ille etiam Circen in ſe mutâſſet amore.;
Ne dum Saxonicis indutum Elpenora ſetis.
Da ſimilem pietate Sophum: qui centum Epicuros,
Et tot Ariſtippos in pectore condidit uno.
Sordibus ex ipſa ſumptis Phlegethontide ripa
(Prodigij ſpecies) Alemannum polluit orbem.
Talia non miror talem ructâſſe Priapum.
Mirandum eſt, potuiſſe dari rationis ab uſu
Dejectos nondum omnino, Proceréſque, Ducéſque?
Qui ſequerentur haram; ſpretáque ſiligine glandes,
Et ſiliquas, quales miſer, atque famelicus edit
Filius, accepti decoctor prodigus aſſis.
Prælia taurorum pro uxoribus, atque petulcos
Mugitus: & quæ dictat laſcivia cervis,
Mollibus in nugis reputes. fuit hic aliquid plus
Quàm Cynicus, nudóque canis ſub fornice ludens.

L X.

Hic igitur nocuit: quis enim nocuiſſe negabit
Publica figentem ſcelerum monumenta? ſed utrum
Pejorem cenſes? Calvinus caſtior, inquis.
Hoc & ego fateor. ſed quanta ſuperbia caſti!
Vt ſe Parthenium probet, atque hoc nomine dignum;
Neſcio, quem ob faſtum, communi à more recedit.
Námque alij manibus candentia Lilia geſtant:
Gallus hic in tergo flores portavit inuſto,
Qualeis Aetna parit; ſed paullò ardentior infrà:
Claudus ubi deus, & Brontes, ſteropéſque laborant.
Vt meritum preſſò ſignarent ſtigmate dorſum.
Spiſſior obſcœnis debetur flamma cinœdis.

L. X I.

Sed quid ego hæc memorans crinitũ comparo Calvo?
An non Luthero pejor fuit Arrius, atque
Neſtorius, ſicci vetulis præ caulibus ambo!
Non Carolſtadius, non noſtri dedecus ævi
Zvvinglius! atq; ipſo nigrior carbone Melanchthon!
Vltimus hic adeò ſquallens, ut præter haberet
Oſſa nihil. viſum, poſt reſtim ex cannabe torta,
Fugiſſe à furca, delapſo fune, putâſſes.

Hic

Hic tamen acer erat Romani Nominis hoſtis:
Et quia non aſinus rudis, omni carcere pejor.
Hic etiam Grajo potuit rudere ore diſertè.

L X I I.

Vrgeor ad teretis Calvini ſcita redire.
Tu ſimplex, quamvis craſſo ſis Corpore duplex,
Ah ſimplex Martine vale; cui *vel furor ipſe*
Dat veniam: modò ſi veniam tibi & ipſe dediſſes
Auguſtæ; præſens ubi purpura Cajetani
Exhortantis erat. *Sed tunc cœpiſti perire*
Lurco! Solœciſmum heic liceat feciſſe Poëtæ.
Totum *ARGVMENTVM* Lutheri, nil niſi fœtens
Hircus erat, tragicéque ſalax; hircíſque ſcatebat.

L X I I I.

Pandite nunc Helicona Deæ, cantúſque movete.
Calvinum excutimus, quo non macilentior ulla
Ardea; vel vincens curſu venaticus auras
Vertagus, hæſurus prædæ cervice fugacis.
Per fas, atque nefas, hic omni ex ubere ſuxit
Eumenidum, quidquid potuit ſorbere veneni.
Alecto indoluit ſceleratum cernere victa.
Aemula ſunt inter Furias quoque ſemina laudis.
Prœmia diſtribuunt, anguémque ex crine rependunt.
Verbo: Calvinus bipedum nequiſſimus uno
Expulit orbe Deum: Fato conceſſit habenas:
Suſtulit arbitrium Mentis, quod libera poſcit.
Irriſit ſuperos: reperitque in Numine culpam:
Progenuit colubros ex ſanguine Machiavelli;
Extinxitque Animas. Sed non extinguitur auctor
Extinguentis eas. vivo jam ſulphure fumat.
Ex ejus ſcitis (debebam dicere technis)
Quid didicit, quid non docuit mala Poſteritas! &
Quinque, ſed & centum Tragicos deduxit in Actus;
Nullâ legitimi ſervatâ lege cothurni.
Belle puer recita: quid dixit Beza Genevæ?
Vulpe leoninam pellem velare doloſâ,
Vel contrà: (*dolus an virtus, quis in hoſte requirat?*)
Moliri fraudeis; *candelam apponere valvis*.

Oſcula per galeam ſubductis figere labris:
Pacem orare manu, praefigere puppibus arma:
Mentiri trabibus fractis: evertere Templa:
Aras, atque focos unâ difflare favillâ:
Sternere adulterijs thalamos, totúmque cubile,
Ceu plumis, ceu mille roſis: condire nocenteis
Boletos, fungóſque favis; aconita parare
Reginis gravidis: inſonteis tollere ferro:
Impoſitos trunco ſine more occidere Reges:
Siſtere vagitum, perfundere ſanguine cunas:
Atrea, & ex orco diras revocare Mycænas,
Et quidquid Thebis geſtum eſt; *jam ludus habetur.*
Sufficit. egregiè Calvini dogmata calles.
Si potes, illorum priùs obliviſcere, quàm nox
Appetat. hæc pretio majore oblivia conſtant.
Ex his ſic liceat decidere. flagitioſus,
Atque macer nebulo nebulonem vicit obeſum.
Lutherus, ſpurcæ fruſtum miſerabile Carnis,
Vnum totus erat Veneris quaſi vulnus, & ulcus.
Quam propter ſcabiem ſtagna in Cocytia merſus
Vritur infelix, & ſpumam lambit Averni.
Calvinus cruciatur: *ubi Titania pubes,*
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.

LXIV.

Non igitur ſemper Probitas, & pallor in unum
Conveniunt. turpes ſæpe & peccata cavernas
Vultibus inducunt; animámque infixa flagellant.
Vnde venit luror: vitio dominante Iuventa
Deſtrui ur. Virtus floret vel anilibus annis:
Biſque novem poſt luſtra valens & *Sara* decora eſt.
Quid magis accelerat rugas, quàm femina præceps,
Supplantánſque viros: & non ſatianda Cupido,
Sive voluptatum, quærendi ſive ſit auri?
Quid curas hominum, miſerum quid diſtrahit Orbem,
Quàm *Venus*, & *Fœnus*? properant ad Fata ſceleſti.
Maturè proprio caneſcunt crimina probro.
Qui matrum thalamos macularunt: quíque cruore
Fraterno lavere manus, lavere paterno:

Poſt tetrum facinus pede pulſavere novercam:
Pupillum nido, viduam ejecere grabato:
Prodiderunt urbes; ſparſere incendia tectis:
Autolyci, Oedipodes, diri, inceſtique Thyeſtæ
Incedunt vultu collapſo; ut Nævius olim
Poſt ſcelus admiſſum: quod jam tibi prodere nolo;
Triſtis ut amiſſâ Creperejus Pollio gemmâ.
Horum tu facies altam cecidiſſe videbis
In foveam, & longos per malas ducere ſulcos.

L X V.

Iam labor in fine eſt. metam ſiſtamus ad iſtam,
More aurigarum tamen ultima flagra moventûm,
Signa dabo ſcuticâ, toto reſonantia Circo.
Emeritos tum feſſus equos, bigáque reſolvam;
Hordeáque affundens ſtabula in Phœbæa reducam.
Si rectè Pinguem, ſi rectè examino Macrum:
Ille, velut magnarum aquilarum ex grandibus una,
Quam Vates alto revolantem ex culmine vidit:
Remigio alarum ingenti; longo membrorum
Ductu, & plumarum mirabilis ordine; pòſt, quàm
Ad Libanum venit, *cedri tulit inde medullam.*
Iſte, velut tectis hærens brumalis hirundo,
Seminecémque trahens vitam. *miſerabile viſu.*
Hic, velut ex ſeptem, Pharao quos vidit obeſos,
Stantibus in ripa fruticante Trionibus unus.
Pulcri omnes amnem carpebant paſcua circùm.
Plena toris cervix: palearia pendula terræ
Vicina: ingentes peragebant cornua gyros.
Atque ideo ſemet ſpatioſâ mole ferentes.
Grata ſoporifero dederunt ſpectacula Regi.
Iſte, velut ſeptem de macris bubus, eodem
A Rege Aegypti per turbida ſomnia viſus.
Extabant hirtis deformia pellibus oſſa.
Ora fame fiſſi meliora armenta vorabant:
Tantò deteriùs ſcabri.. *miſerabile viſu.*
Ille, velut ſeptem ſpicarum culmus in agro
Vbere præpinguis, multóque impletus Oſyri;
Et Nilo ſtagnante. oculis fecunda voluptas.

Iſte, velut ſeptem ſpicarum culmus inanis,
Opprobrium Cereris, Scythici convallibus Aemi
Dignior. ipſa Fames refugit. *miſerabile viſu.*
Ille, Therapnæus veluti Pugil, & ſatus ovo;
Si fortè ad luctam patrio de more Palæſtra
Expoſuit juvenem: ſimul ac rejecit amictum,
Exuitúrque Lacon; ſpectanteis paſcit apertâ
Lætitiâ membrorum. oleo perfunditur artus:
In medio pulcer cerni, pulcérque timeri
Stat nudus Pollux, ipſa formoſus in ira.
Iſte, velut, quamquam reliquos eſt vertice ſuprà,
Terribili ſqualore Charon, odioſus & aſper,
Illum horrent vivi, cymbámque, & flumen opacum.
Illum horrent Vmbræ ſtantes in margine ripæ,
Illuvie, & Lethe madidum. *miſerabile viſu.*
Ille, velut riguo pulcerrima malus in horto,
Germinat indulgens ſpacio, frondéſque gravatas
Explicat, & ſaturo lucentia poma rubore
Permiſcet; Dryadum decus, ornatúrque tabellis.
Iſte, velut ficus, ſacris quæ percita Diris
Cæſariem poſuit foliorum, & facta repentè
Calva, ſtupet nervis. omni caret arida ſucco.
Viſcera letalis penetravit in ima November.
Vt jam nec fatuos promittat cortice fructus.
Nulli illam pueri, nullæ optavere puellæ.
Irridet frondoſa Soror. *miſerabile viſu.*
Hujus in aſpectu mihi conſpicienda triremis
Offertur: qualis ſub verni temporis auram
Per mare procedit Venetum. Prætoria puppis,
Summus ubi Dux ipſe ſedet, majórque Senatus,
Fulgurat ex auro: laterúmque cubilia fulgent:
Tranſtráque, & in proram ſectum nemus uſque relucet.
Pulcra maris facies: porrectum ſcinditur æquor
Remorum æquali verſu; molleiſque per undas
Nat Bucentaurus; luſtratúrque Adria latè:
Et ſibi deſponſam Tethyn Ducis annulus ambit.
Interea reſonant cithiaræ, conchæque, tubæque.
Cærula

Cærula per totum ſubſultant gaudia pontum:
Séque oſtentantes ſertis Nereides ornant.
At macro viſo, tamquam ſpoliata magiſtro
Navis,& antennis, & funibus
Occurrit. nullæ luctantur marmore tonſæ:
Cuncta abrupta;
Nulláque concipiunt optatos Carbaſa flatus.
Vela tremunt lacera:
Obruit ira Iovis percuſſam, & ventus, & imber,
Et furor, & rapidus turbo. *miſerabile viſu.*
Ille ſtat, ut ſpolijs arbos onerata Gigantum,
Quos in Phlegræis ſtraverunt fulmina campis.
Non electa fuit plebeji ſtipitis arbor:
Sed Quercus dilecta Iovi. Titania pendent
Vndique, & ante omnes exuti Aegæonis arma.
Et jam numen habet ſenio venerabile robur.
Fulget in umbroſis Divûm Victoria ramis.
Iſte, velut ſterilis calamus, vel arundo paluſtris,
In nullos uſus; vento turbatur ab omni.
Qui ſe ſuſtineat juncus? *miſerabile viſu.*
Cùm video Pinguem, mihi ſe quaſi Roma Trium-(phans
Ingerit, auguſtâ ſpecie, vultúque decoro:
Qualis erat, currus victis cùm regibus egit
Quadrijugos; velata comas Parnaſſide lauro.
Tota Vrbs in læto fremitu. procul omnis egeſtas.
Luxus ubique tumens, & plurima Solis imago.
Miles jô Miles, populus clamabat, & Evan.
At Macer à Sueco combuſti milite pagi
Ore refert ſpeciem: cujus domus integra nulla eſt;
Aut, quæ manſit, hiat, vel nutat, & oblita fumo
Ringitur: obtritis fornacibus atque feneſtris;
Omniáque horrorem ſpirant. *miſerabile viſu.*

L X V I.

Quò ruimus? tantæne ægris Mortalibus iræ!
Exiguo tanti fervent in pulvere faſtus!
Cur macer,& pinguis veſtros colliditis artus?
Neuter habet, quo ſe jactet, tollátque ſuperbè.

Ambo eſtis fragiles, propereque fatiſcitis ambo.
Oſſa, & adeps pereunt. hic diffluet, iſta crepabunt.
Exſpectate *Diem Mundi* in declive ruentis
Extremum. ardebit, diſſolvetúrque per ignem:
Tunc tuba terribili quatiet clangore ſepulcra,
Eque ſuis Maneis tumulis ad Iudicis *Arcum,*
Fatalémque Vrnam, nullo remorante, citabit.
Intonat. arcanæ ſubitò tremuere cavernæ:
Et gravidâ Tellus ſua pignora parturit alvo.
Terrigenæ ſurgunt, tollúntque ad ſidera vultus:
Sidera deciſis, ſine lumine mœſta capillis,
Sidera confuſo rorantia ſanguinis imbri.
Quamquam omnes ſurgent; non *immutabitur omnis.*
Nemo macer, nemo *rapietur in aëra* pinguis
Obvius in nubes Chriſto. gratiſſima namque
Temperies raptos tamquam medicamine ſacro
Imbuet, æternos & conſervabit in annos.
Corpora tunc Divûm candore rubentia miſto
Pulcra reviviſcent, viridique ætate decora:
Vt ſi ebur Oebalio radiatum infeceris oſtro.
Oſſa Beatorum florebunt, germinis inſtar,
Quod radix, ſua mater alit, ſuccúmque miniſtrat
Perpetuum. vincent fragrantia balſama odore.
Quod decus oris erit! dulcis quæ gratia formæ!
Quàm nitidi dentes! roſeis quæ purpura labris
Fulgebit! quales oculi! quæ lumina gemmæ!
Colla nives, violæ crines, & lilia palmæ:
Palmarúmque comæ ſtantes in vertice ſacro.
Quid *ſeptem ſoles ſtipatos* corpus in unum
Commemorem, immenſum latè jubar effuſuros?
Sub pedibus *calcant Letum*: membra omnia vivam
Spirant lætitiam, nullis obnoxia flammis.
Quiſque ſuum corpus poterit vibrare per auras
Ocyor & ventis, & fulminis ocyor alis.
Vtque vagi volitant, apices per arundinis, ignes;
Vtque per ætherios diſcurrent fulgura campos.
Nil obſtare poteſt: nihil impenetrabile. centum
Marmoreos poſtes, & ahenea mœnia rumpent.
Per

Per ſolidúmque adamanta, velut levis aura, meabunt
Subtiles. Tanti eſt poſſe has virtute mereri
Quatuor inſigneis præſtanti in corpore *Dotes*.

LXVII.

Hæc ad Danubium : quo primùm vidimus anno,
Templum inſtaurari ſecunda à Virgine ductum
Nomen habens : quà celſa *Novæ* caput erigit *Arcis*
Aula *PALATINI* clivo ſubnixa *PHILIPPI*.
Acceſſere novæ (ſileat miracula Memphis)
Pyramides. duplex lino confecta ſub auras,
Verticéque intrepido ſurſum capita ardua tollit:
(Marmora quid proſunt?) *Stat Carbaſus*, inq; figuram
Ignis apex Pharij ſurgit : *mirabile viſu*.
Ridet, & armatas hyemes, & provocat Auſtros :
Nec niſi cum lapſo pannus lacerabitur Orbe.
Commune hoc Fatum eſt. equidem terreſtria nullo
Stant ſecura loco; caſúmque infirma minantur.
Aedes, navis, homo, (magis autem femina) *pontes*,
Semper egent refici: ne tota ruina ſequatur.
Sed neq; & iſta juvant. omneis tã certa manet mors,
Quàm non certa dies : ſaltem non nota. Quis augur
Ipſe ſuæ necis eſt? Tecum, quem vixeris, annus
In terra fuit. at quos vives, calle reducti
Secreto, obſcurum *caput inter nubila condunt*.
Præteritos poſſis, ſed non ſpectare futuros.
Sunt poſitæ inter ſe ſpacijs æqualibus Horæ;
At tibi inæquales. hac eſt felicior illa :
Illa, vel illa, tua eſt : quæ ſit tamen ultima, neſcis.
Vna quidem præfixa tibi eſt : ex omnibus unam
Divinare potes : *dum non ſit in omnibus una*.
Quam minimè reris ſupremam, pertinet ad te.
Ergo para forteis animos, & ad ultima tendens
Arripe venturam mortem; meritáſque nocentis
Naturæ tenebras oculis nictantibus hauri.
Vltima meta mori. Scopus eſt communis. ab iſto
Excipitur nemo. reſpirans huc tua torques
Spicula : projecto vitali flamine, tangis.

Sic,quibus exorimur Fatis, occumbimus iiſdem.
Ex cinere in cineres,alternâ ſorte,redimus.
Nil manet,.ut maneat. fugientibus utere donis,
Dum potes, & ſcito, fluxam te vivere vitam.
Vnda fluit, refluit nunquam. prætermeat Iſter:
Nóſque ejus ſequimur, torrentis more, meatum.
Tendimus in foſſam tandem, & *Dilabimur omnes*
In mare, *ficut aquæ.* Pingues,Macríque Sodales,
Pieridúmque chorus, Muſæ : Charitéſque venuſtæ,
Inſontéſque Ioci, Satyri, Satyræque *Valete*,

FINIS.

INDEX CAPITUM ANTAGATHYRSI.

I. *Præcinium ad Macros, & Pingues.*

II. *Vacuum horret natura. Quid autem magis vacuum, quàm vultus inexpletus, & venter penè inexplebilis?*

III. *Plena Luna pulcerrima. deficiens, aut intercepta, horrori eſt.*

IV. *Aureo ſeculo Poëtarum, nullos extitiſſe Macros: argenteo cœpta lineamenta monſtrari. ferreo demum, Maciem omnem agminatim erupiſſe in Orbem; unà cùm febribus, aliiſque morbis; & appendicibus miſeriarum, tertij, quarti, quinti, ſexti, & ſeptimi generis, &c.*

V. *Idque multis exitialibus ſignis, domi foríſque conſtare.*

VI. *Ineptos Stoicos, ſtrigoſam Macilentorum Sectam, per aliquot ſimeta, & porticus promoviſſe, multorum ingratijs, reclamante Naturâ.*

VII. *Priſcorum Mortalium inſignis, & exſultans corpulentia: in primis Germanorum. Nunc verò, dominante Macie, puſillorum Corporum ridicula inanitas.*

VIII. *Vtcumque funambulos, ejuſdémque farinæ homunciones ludibunda gracilitas juvet; Conſulem tamen Vrbis, & Magiſtratum, juſti menſurâ corporis, ſapientiùs & præſentiùs ornari.*

IX. *Quidquid ſit, non eminere in tenuibus corpuſculis formam Imperio dignam: ſicut nec in Thyrſis regale ſceptrum.*

X. *Gentiles, naturæ inſtinctu, etiam falſis Dijs ſuis, attribuiſſe ſtaturam, & membra Heroibus*

reibus digna : gnares,populum non moveri religione,cultúque Deorum , quibus facies deeſt.

XI. *Virtutes corpulentâ formâ populariter exhiberi,pictas , ſculptáſque : Vitia , macilentorum coloribus,& ore deformata, obtrudi.*

XII. *Dubitari poſſe , an Invidia pertineat ad Macros, ut Proprium quarto modo.*

XIII. *Verbo : Maciem poſt quatuor ætates hominum, profluentes ex dolio Vita, vappam eſſe : in qua Mors fæculenta reſidat.*

XIV. *Miſeria macilentorum ſedentaria demonſtratur.*

XV. *Ante mortem mori , quoad Vitia, pulcrum, atque laudabile ; non item , quoad faciem. obiter inquiritur : Qui Medici feliciores ſucceſſibus : macri,an pingues ?*

XVI. *Cùm quodvis animal,cujus perfectioni ſecundum Naturam requiſita nihil deeſt, delectet intuentes ; Hominem macrum* (Sanctius his animal) *in quo multa deſideres, oculis meritò diſplicere.*

XVII. *Victimis pinguibus placari Numen. Iuſtum Abelem ſpectare ad pingues : macros ad impium Cainum. Véteres quoque à Veritate licèt alienos, non niſi opima ſacrificia obtuliſſe.*

XVIII. *Interludia varia de oſſibus , oſſeis,& magicis annulis, Mumijs,&c. in gratiam Agathyrſi, qui ſimilibus quoque ſtrophis nugatur.*

XIX. *Faciem pinguium nullam hypocriſin admittere : eamdem in larvatis* (exterminatis) *Macilentorum vultibus ſæpe ſuſpectam obverſari.*

XX. *Plures macilentos ,ſpecie jejunantium triſtes, frugiperdas eſſe.*

XXI. *Adde : inſatiabiles. adde : ſine flore, & fructu. adde : maximo Reipubl. damno.*

XXII. Quo

XXII. *Quo argumento probaverint Trarara Cenus & Tranara Ciſcus, Macris, à lautioribus conviviis abſtinendum.*

XXIII. *Singulare prorſus Epulum Umbrarum (unde &* Vmbraticum *vocatur) cum varimoniis adhiberi ſolitis deſcribitur, in gratiam Macilentorum, cœnaturis Manibus affinium; & exemplum frugalitatis, quod imitari tenean tur.*

XXIV. *Agathyrſi gaſtrimargiam, nihil minus, quàm Umbratica convivia, & evanidas dapes conſectari.*

XXV. *Pleroſque macros, nullis miſericordia viſceribus praeditos, Stoicâ apathiâ, ſive indolentiâ obrigeſcere.*

XXVI. *Duûm Macilentorum durities, & avaritia incredibilis.*

XXVII. Albumacer *Maracona, mirabilis Sanctus, horribilis macer: ſed quia & ſibi durus, utcumque tolerabilis, vel ob hanc cauſſam.*

XXVIII. *Inamabilior multò Baſſi Aſcalonita philautia, & propriarum commoditatum quodammodo ſuperſtitioſa procuratio.*

XXIX. *Somnia macrorum terrifica; pinguium blanda*

XXX. *Hieronymi Froſcardi, pinguiſſimi ſenis, mitis indoles, ac benignitas.*

XXXI. *Pinguium naturam propenſiſſimè inclinari ad benefaciendum, exemplo Taratanzii, Huppii, Gluckerſii, trium beneficorum ſenum.*

XXXII. *Pingues Cocos laudari: ex quorum vultu etiam oculata, & adipata offa reſplendeat.*

XXXIII. *In avarum, & pinguem, à pinguium laude degenerantem, Satyrici Vatis Dira Scariotica.*

XXXIV. *Vice verſâ; ſuper Macrum pium, mitem, liberalem, benignum; adeóque contumacis ſuæ*

natura Victorem glorioſum, Pax, & Benedictio. *omnibus encomijs proſequendum eſſe cenſemus.* habeat duas partes *ante pinguem*, in gladio, & arcu.

XXXV. *Rara avis in terris, qua?*

XXXVI. *Non fidendum ſignis penſilibus ante cauponam. Indigena faciem, non crumenam ex zona pendentem conſiderandam eſſe. Barbari tonſoris, in macilento caupone, horrendum paradigma. Experto crede Roberto Virroni Haſſo.*

XXXVII. *Contrarium prorſus in altero pingui, viro optimo, Caupone Tyrolenſi.*

XXXVIII. *Ejus ante cœnam parandam, cum Advena Romano colloquium jucundum, nec ſiccum.*

XXXIX. *Cœna lautiſſima Agape.*

XL. *Nox, ſomnus manè, jentaculum, omnia parabili pretio apud prædictum pinguem.*

XLI. *Antidora Pingui Familia, intuitu ſingularis beneficentia exhibita, ab eodem advena in Alſatiam remigraturo data.*

XLII. *Macer, an Pinguis Advocatus clienti eligendus?*

XLIII. *Cauſidici cujuſdam Spirenſis, Calviniani, macilenti, avariſſimi tremenda exactio, vectigalis garrulitas.*

XLIV. *Multos Vtriuſq; & Neutrius Iuris doctos, non à vigilijs, ſtudijſque; ſed inutilibus curis, & aviditate acquirendarum opum palleſcere.*

XLV. *Praclara ingenia macilentis quidem ineſſe: ſed quandoque periculoſa, ambigua, funeſta, tragica.*

XLVI. *Probari hoc experimentis omnium ſeculorum. multa ſpecimina noſtri poſſe oſtendi. ſed.*

XLVII. *In-*

XLVII. *Inventa Macrorum triſtia, & ſæva.*

XLVIII. *Inventa Pinguium mitia, & utilia.*

XLIX. *Odia Macilentorum, plerumque immortalia, ſemper gliſcere: Pinguium iram adipe ſopiri, & ſenſim exſpirare.*

L. *An Parnaſsia Laurus ſolis macris debeatur? negatur. refellente Q. Horatio Flacco: qui nitida cutis Vates, ſtat unus pro mille Poëtis.*

LI. *Quid enim? D. Thomam Aquinatem, Solem ſcientiarum, corpulentum fuiſſe, certum habetur.*

LII. *At non perinde certum: M. Tull. Ciceronem fuiſſe macilentum: quod Agathyrſus ſupponit, non probat.*

LIII. *An, & quomodo* Caro, *inſtrumentum vitiorum, præſertim luxuriæ ſit: quod Macri Pinguibus objiciunt.*

LIV. *Fomitem malorum æquè macris, ac pinguibus inſitum eſſe, & ex violato pomo promiſcuè trahi.*

LV. *Idque docere amariſſimos fletus, & querelas Eremitarum Veterum, macie tabeſcentium & in primis teſtimonium Divi Hieronymi aſperrimam vitam, ſtimulíſque carnis obnoxiam, in horrida ſolitudine agentis.*

LVI. *Monitum Aſceticum, in pugna Caſtitatis, pinguibus, & macris æqualiter obſervandum.*

LVII. Et amantes littora myrti, *quid macris ſignificent.*

LVIII. *De Mart. Luthero pingui, & Io: Calvino macro. uter fuerit hæreſiarcha nocentior.*

LIX. *Vita Lutheri pinguis, in ludo chartarum viventium,* Sus *eſt. nec ipſe negavit: hoc titulo ſolo ingenuus.*

LX. *An fuerit Calvinus Luthero Caſtior? ſi fuit; quomodo etiam probetur fuiſſe ſuperbior.*

LXI. *Summi Hæreſiarchæ macilenti Effigies Philippi Melanchthonis, macerrimi, & acerrimi hæretici.*

LXII. *Fatendum eſt, Lutherum in ſchola Caſtitatis, indoctum ſe diſcipulum præbuiſſe: idque ex argumento patere, quod hircis ſcatet, ac fœtet.*

LXIII. *Ceterùm Calvini macilenti ſcita, eſſe omnium improbiſſima. recitantur, & cruciantur.*

LXIV. *Uſque adeò Maciem non certiſſimam eſſe ſanctimoniæ notam; ut ſæpius contrarium arguat.*

LXV. *Agathyrſus, & Antagathyrſus, duello commiſſi, ſimilitudinibus, & comparationibus illuſtrantur.*

LXVI. *Litem in Macros, & Pingues, Extremum Iudicij Diem, facilè compoſiturum: nimiâ macie, nimiáque pinguedine, ex Electorum corporibus ſublatâ; de ſententia S. Auguſtini, lib. 22. de Civitate Dei. Deſcribuntur 4. dotes glorioſi corporis. ex Epiſt. D. Pauli ad Corinth. 1. c 15.* Seminatur corpus animale: ſurget corpus ſpiritale, &c.

LXVII. *Epilogus, de Brevitate vitæ, ex Contemplatione Danubij Neoburgum præterfluentis; & inſtaurati Templi Mariani. ubi & Antagathyrſus hic conſcriptus eſt.*

Menda Emendata.

Præfat. fol. 6. a. verſ. 16. *Mund* lege Mundi.
pag. 4. v. 5. *ventrs pro ventire.* l. ventris pro ventre.
pag. 19. v. 11. *accidere.* l. accendere.
pag. 27. v. 13. *Spartanis, canibus,* l. Spartanis canibus,
pag. 32. v. penult. *Scilicet.* l. Scilicet.
pag. 42. v. 14. *canta.* l. *canta.*
pag. 4. v. 12. *atque athera.* l. aut æthera.
pag. 5. v. 19. *digni.* l. dignè.
pag. 10. v. 2. *Amyctao.* l. Amyclæ.
pag. 31. v. 12. *pipata.* l. piperata.
pag. 38. v. 7. *injuria rara.* l. nana.
pag. 43. v. 15. *Europa.* l. Europe.
pag. 45. v. 22. *Verbo :* l. ſine duob. punctis.
pag. 47. v. 31. *viſus,* l. viſis.
Fol. ult. Indicis, num. LXVI. *Litem in Macros.* leg. Litem inter Macros.